

## Werk

**Titel:** Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici Parisiensis De Sibylla

**Untertitel:** Libri tres

**Autor:** Petitus, Petrus

**Verlag:** Lankisch; Guntherus

**Ort:** Lipsiae; Lipsiae

**Jahr:** 1686

**Kollektion:** VD17-Mainstream

**Gattung:** Altertumskunde

**Digitalisiert:** Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

**Werk Id:** PPN737373385

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN737373385>

**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=737373385>

**LOG Id:** LOG\_0012

**LOG Titel:** Liber Secundus.

**LOG Typ:** chapter

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain these Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

# PETRI PETITI

Philosophi, & Doctoris medici,

DE

## SIBYLLA

LIBER SECVNDVS.



### CAPVT I.

*De patria & nomine proprio Sibyllæ.  
Vnde Erythræa dicta sit. Seruii  
error notatus.*

**H**Actenus quæ ad naturam Sibyllæ & magis insignes proprietates attingere visa sunt, satis pro instituto accurate exposuisse videor; restant externa quædam & historica, in hoc libro explananda: in quibus constituendis multum negotii habent eruditi, neque conuenire inter se possunt. In hoc genere prima occurrit patria. Nam qui plures Sibyllas distinguunt, varia iis oppida & regiones, vbi natæ sint, assignent necesse est. Vnde variæ illis appellationes tribuuntur: Babylonia siue Chaldæa, Phrygia, Erythræa, Colophoniam, Libyssa, atque alia eiusmodi a locis sum-

pra



pta epitheta. Nos autem qui vnicam fuisse Sibyllam censemus, & probauimus, hanc patria fuisse Erythræam, atque ita appellandam ostendimus. Primum auctoritate Aristotelis loco sapius iam indicato e Variæ historiæ libello, qui inscriptus est θαυμασιῶν ἀνεκδιμήτων *admirationum auditionum*. Quem locum denuo hic legentibus ob oculos ponere nihil vetat: ἢν (Σίβυλλαν) πολυχρονωτάτην γενομένην παρθέου διαμεινᾶσαι Φασιν, ὅσων μὲν Ἐρυθραίαν, ὑπὸ Ἰωνῶν ἢ τὴν Ἰταλίαν κατοικούντων Κυμαίαν &c. *Quam, cum diu admodum vixerit, mansisse virginem ferunt, patria quidem Erythræam, a quibusdam autem Italiæ incolis Cumæam fuisse nuncupatam*. Clarum hoc Aristotelis testimonium est, & quod vna fuerit Sibylla, & quod ortu Erythræa. Cui alterum accedit Hermiæ philosophi in secundo commentariorum ad Phædrum Platonis: quo significatur, & Sibyllam Platoni memoratam in eo dialogo natione Erythræam fuisse, & Eriphylen seu Herophilen vocatam. ἐπεὶ αὐτήγε ἡ Σίβυλλα ἢ Ἐρυθραία πρὸς ἡς νῦν λέγεται, Εριφύλη ἐκαλεῖτο ἐξ ἀρχῆς. Idem & Senatus Romani auctoritate ostendi potest, quem Fenestella, non malus Romanarum rerum auctor, post Capitolii exustionem, in quo reconditi erant Sibyllæ libri, his cum æde incendio absumptis, ac instaurato ædificio, cum de Sibyllinis item reparandis deliberaretur, in eam sententiam venisse tradit, vt legati Erythras mitterentur, homines periti &



diligentes, qui carmina Sibyllæ conquisita Romam deportarent. Mandata est autem hæc provincia P. Gabinio, M. Otacilio, & L. Valerio, qui in eam ciuitatem profecti descriptos ibi a priuatis versus circiter mille Romam reportasse dicuntur. Quo patrum consulto & legatione vehementer id quod de Sibyllæ patria dixi, confirmatur. Neque enim Romani Erythras potissimum ea causâ triumuiros illos misissent, nisi iudicassent petenda inde esse Sibyllæ carmina, vbi natam fuisse perpetuo gentium consensu fama obtineret.

Neque vero obstat quod Cornelius Tacitus paulo diuersus abit, dum lib. 6. Annalium cap. 12. ita refert: *Simul commonefecit, (Tiberius) quia multa vana sub nomine celebri vulgabantur, sanxisse Augustum, quem intra diem ad prætorem urbanum deferrentur, neque habere priuatim liceret. Quod a maioribus quoque decretum erat, post exustum sociali (vel potius, vt recte Lipsius emendat; ciuili) bello Capitolium, quasitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam & Italicas colonias carminibus Sibyllæ; vna seu plures fuere; datoque sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere.* Et ante illum Dionysius Halicarnassensis, in eandem ferme sententiam scriptum reliquerat, de hac Capitolii conflagratione & versuum Sibyllæ instauratione tradens: *οἱ μὲν ὄντες ἐκ πολλῶν εἰσι σύμφοροι τῶν τόπων οἱ μὲν ἐκ τῆς ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, οἱ δὲ ἐξ Ἐρυθρῶν*



ἐν τῇ Ἀσίᾳ, οἱ δ' ἐξ ἄλλων πόλεων. id est: *Quæ hodie extant carmina sunt e pluribus locis illa collatitia. Nonnulla ab Italia urbibus: quedam Erythris ex Asia deportata: nonnulla autem aliunde.* Hæc, inquam, minime obstant: quia non est absurdum, vnius eiusdemque vatis, quæ Erythris nata sit, carmina non in eo oppido tantum, sed etiam in aliis reperiri locis. Quod quomodo factum sit, inferius suo loco dicemus.

Sed neque audiendi, qui hanc Mermisso, vel Marpesso, Troadis oppido volunt ortum habuisse; dictam autem *Erythræam* a rubicundo eius vrbs colore, vel etiam foli; vt est apud Stephanum: *Μερμησσοῦ πόλις Τρωικὴ, ἀφ' ἧς ἡ Ερυθραία Σίβυλλα. ἦν γὰρ ἡ πόλις αὐτὴ ἐρυθρὰ τὰ χρώματι.* id est, *Mermessus oppidum est in regione vbi Troia fuit, ex quo Erythræa Sibylla. Erat autem ea vrbs colore rufa.* Pausanias in Phocicis patria Marpessiam censet, Erythræam autem nominatam a colore foli: *ὑπερέρυθρον δ' ἡ πᾶσα ἡ περὶ τὸν Μάρπησσον γῆ, καὶ δεινῶς ἔστιν ἀνχυώδης.* id est, *supra modum rubra est humus tota circa Marpessum & vehementer sicca.* Sed hæc friuola sunt & fide indigna. Cui enim vnquam homini, vel rei, nomen a loci colore inditum fuit, cum eius coloris particeps non esset? Nam ne ipse quidem sinus Arabicus, qui vulgo mare rubrum dicitur, id nomen hac sola ratione adeptus, quod vadum subtus rubrum sit, sed quia falso creditum fuit ab ignaris aquam inde colorari:



vel, quia ibi Erythras regnavit, vt refert Pomponiu Mela lib. 3. de fitu orbis cap. 8. a quo Græci ἐρυθρὰν θάλασσαν dixerunt. Quod proprius ad verum accedit. Cum enim Isaaci patriarchæ filius primogenitus Esau, qui Arabiam ei mari confinem tenuit, Edom vocaretur, (quod nomen Ebræis *rubrum* sonat) quod is toto corpore rufus ab ortu esset, ab eoque is sinus mare Edom diceretur, Græci vertentes, ἐρυθρὰν θάλασσαν, hoc est, mare rubrum vocarunt. In quo quidem nihil, quod absouum videri debeat. Sibyllam autem solo aut vrbe, quantumuis rubra, ortam degentemue, cum ipsa eo colore infecta non esset, rubram & Græce Erythræam propterea dici, dictu absouum & perridiculum est.

Hac igitur tam inficeta nominis huius Sibyllæ expositione explosa, superest vt *Erythræa* dicta sit ab vrbe Erythris. Duæ autem vrbes feruntur eius nominis: vna in Græcia, ditionis Plataensium, inter Megaram & Thebas sita; altera in Asia, ciuitatibus Jonicis annumerata, prioris illius colonia, vt ex Strabone discimus. Hanc quæ in Jonia est, patriam Sibyllæ censemus, non priorem: qua autem coniectura, infra patebit. Remouendus interim Seruii Grammatici error, qui loco supra notato Sibyllam ab Erythræa insula oriundam dicit: *Illa (inquit) hausit arenam manibus, & longam vitam poposcit. cui Apollo respondit: id posse fieri, si Erythræam insulam in qua habitabat relinqueret, & eam nunquam videret.* Cæterum

terum nullam in ea regione, in qua nata est Sibylla, eius nominis insulam esse constat. Sunt quidem insulæ quædam Erythris adiacentes; verum non eo nomine: neque Erythrææ, sed Ἰπποῖ olim vocabantur, Strabone teste lib. 14. καὶ μέσον δὲ πρὸς τὸν ἀνατολικὸν αἰ Ερυθραῖ, πόλις Ἰωνικὴ λιμένα ἔχουσα, καὶ νησίδας ἀσπασίμους Ἰπῶν καλεσμένας. id est, *in medio fere cursu Erythræ sunt, ciuitas Ionica, habens portum, & iuxta insulas exiguas Ἰπῶν nominatas.* Quod autem Solinus cap. 26. in capite Bæticæ, vbi extremus est noti orbis terminus, insulam describit septingentis passibus a continenti distantem, Erythræam nominatam, quod hanc Tyrii a rubro profecti mari habitarent, nihil ad Sibyllam Erythræam, de qua agimus, pertinere palam est.

## CAPVT II.

*Aliæ ambages de patria Sibyllæ. Veterum de hac re dissensio & pugna.*

*Justini Martyris & Lactantii loca expenduntur.*

**S**Ed alias video ambages & difficultates. Quod Senim Homero vatum summo accidisse dicitur, vt post eius mortem septem de eius natali solo inter se vrbes contenderent, id & Sibyllæ quoque memoriæ & honori datum esse, multis ostendi potest. Jam visum est de Marpesso vrbe, obtinuisse



nuisse famam & proditum fuisse, ea in regione ubi ea ciuitas esset, ortus initium habuisse Sibyllam, & quomodo ibi genita Erythræa dicta sit. Cæterum & Sibyllæ ipsius carmen de suo genere pro ea opinione proferebant ciues Marpessi; quod a Pausania in Phocicis relatum adscribere operæ præcium est.

Ἐμὶ δ' ἐγὼ γεγαῖα μέσσην Διητῶν τε Θεῶν τε  
 Νύμφης δ' ἀθανάτης, πατρὸς δ' αὐκητοφά-  
 γου.

Μητρόθεν Ἰδογενῆς, πατρὶς δέ μοι Ἰδῆν ἐρυθρῆ  
 Μάρπητος, μητρὸς ἰερῆ, ποταμὸς δ' Αἰδωνεύς.

quos versus sic latine vertit Sylburgius:

*Inter utrumque sequor medium, Diuasque ho-  
 minesque,*

*Nympha immortalis sata cetophago genitore.*

*Ida mee matri patria est, mihi patria rubra*

*Marpessus, matri quæ sacra, amnisque Aidoneus.*

Nec quæ de hac vrbe & regionis proprietate ad eius carminis explicationem sequuntur apud Pausaniam latine, ob loci prolixitatem, subiungere grauabor: *Extant (inquit) adhuc in Ida Phrygiæ Marpessi urbis vestigia, quo loco inquilini restant circiter sexaginta. Tota est circa Marpessum terra subrufa, & mire torrida. Quocirca quod Aidoneus amnis modo se subter terram abdat, modo rursus emergat, ac eiusmodi sæpius repetitis vicibus postremo penitus occultetur, ad Idæ*



montis naturam arbitror referendum, quod rarum est ac pertenuè solum, & multis cuniculis cauernosum. Abest ab Alexandria, quæ est in Troade, Marpeffus stadia ferme ducenta & quadraginta. Et Herophilen quidem, qui Alexandria degunt, Apollinis Sminthei aiunt adituam fuisse: Hecubæ vero somnium interpretatam, ita ut rei qui vulgo est notissimus exitum prædixerit. De locis autem atque urbibus, quas visit, hæc addit: Magnam vitæ partem egit hæc Sibylla Sami, sed Claron etiam, quæ Colophoniorum urbs est, venit. Sed & Delon eadem & Delphos adiit: Delphis etiam ei de quo dictum est saxo insidens vaticinia dabat. Insignis hic locus magni scriptoris, & notatu dignus de Sibyllæ peregrinationibus.

Erythræi contra, quos idem Pausanias acerri-  
me omnium Græcorum de Herophiles ortu certasse testatur, Corycum montem, & sub eo antrum ostendebant, in quo natam Sibyllam contendebant. Parentes eius fuisse Theodorum pastorem indigenam, & Nympham cognomine Idæam: rationem cognominis non esse aliam, nisi quod frequentia arboribus loca & umbrosa Idas iis temporibus homines vocarent. Versum autem, in quo Marpeffi & Aidonei fluminis fit mentio, e supra allato Sibyllæ carmine expungebant. Descendere & Gergithii (qui scilicet urbem Gergitha in eadem Troade habitabant) in idem certamen, Sibyllæque natales sibi non minori studio & contentione vindicarunt: vsque



adeo, vt tanquam victores eius pugnae nummum Sibyllae effigie cum sphinge signatum in vsu haberent; vt ex Phlegontis primo Olympiadum constat, sepulchrum etiam Sibyllae apud se in templo Apollinis Gergithii ostendebant. Auctor Stephanus in voce Γέργυς. Id esse verum quo minus dubitemus, Ezechiel Spanhemius, non vulgaris vir eruditionis & solertissimus veterum monumentorum indagator, pridem nobis eius nummi Gergithiorum effigiem caelo expressam exhibuit, in opere egregio quod edidit de praestantia & vsu numismatum, dissertatione tertia.

Verisimile est autem non inter Phrygas tantum & Erythraeos hanc litem de ortu Sibyllae exarsisse, sed & inter alias Graeciae ciuitates, immo & barbaras nationes: occasione iis data, quod ad eos omnes Sibylla transiisset, cum peregrinationis eius vestigia diuersis ac longe remotis in vr-  
 bibus extarent. Quippe & Italos Cumaeam vocasse Sibyllam a Cumis Campaniae ciuitate, quae Erythraea esset, locus ille Aristotelis probat, quem supra ex Admirandis eius auditionibus recitabamus. Neque eius ambitionis siue aemulationis expertes fuisse videntur Chaldaei, qui quam Graeci Erythraeam, aut Gergithiam, aut alterius ciuitatis Graeciae nomine vocarent, quamque Itali Cumaeam, ipsi Babyloniam, tanquam Babylone ortam cognominauerunt. Justinus quidem inter alia vitae decora Christi martyrio illustris, oratione parænetica ad Graecos, de anti-  
 qui-



quiore Sibylla loquens hanc Babylone in Italiam & Campaniæ oras processisse testatur his verbis: ἔσα δὲ ὑμῖν ραδίως τὴν ὀρθὴν θεοσεβειαν ἐκ μέ-  
 ρους ᾧδῶν τῆς παλαῆς Σιβύλλης ἐκ ἰνῶ δωμα-  
 τῆς ὑπιπνοίας διὰ χρησμῶν ὑμᾶς διδασκείης,  
 μαθαίνεν τῶνδ' ἀπερ' ἐγὼ εἶναι δοκεῖ τῆς τῶν  
 περὶ φητῶν διδασκαλίας. Ταύτην δὲ ἐκ μὲν Βαβυ-  
 λῶν ᾧδῶν ᾠρηθησάμενοι, Βηρώσῃ τὴν χαλδαί-  
 κὴν ἰστορίαν γράψαντες ἰσχυρότερα ἔσαν· εἰς δὲ  
 τὰ μέρη τῆς Καμπανίας σκοοῖδα ὅπως διαβᾶσαν.  
 &c. id est. *Perfacile autem vobis erit rectam reli-  
 gionem ex parte aliqua, quæque proxime ad pro-  
 phetarum accedunt doctrinam, a veteri Sibylla vos  
 per fatidica responsa ex potenti quodam afflatu do-  
 cente accipere. Hanc Babylone ortam, Berosi illius  
 qui Chaldaicam historiam scripsit filiam, ad Cam-  
 pania oras nescio quomodo peruenisse ferunt. Ac  
 quod Chaldæam attinet originem, non solum  
 in ea est sententia Justinus, sed etiam Lactantius;  
 qui idem lib. i. cap. 6. expresse confirmat. Quod  
 autem Berosi Chaldaei, qui Chaldaicam historiam  
 scripsit, filia ibidem dicitur, eaque ipsa cuius  
 Plato in Phædro & aliis locis mentionem fecit,  
 falsum ratio temporum conuincit. Cum enim  
 omnium eruditorum consensu Berosus ille histo-  
 riæ Chaldaicæ scriptor, qui pater Sibyllæ dici-  
 tur, eam historiam tertio Syriæ regi Antiocho  
 inscripserit, adeoque multo tempore post mor-  
 tuum Alexandrum; qui fieri potest, vt Plato eius  
 Sibyllæ, quæ ex Beroso illo nata sit, vllam fecerit*  
 men-



mentionem? si quidem ex Laertio constat, Platonem primo octauæ & centesimæ Olympiadis anno, hoc est, toto decennio priusquam Alexander in Macedonia regnaret, e viuis excessisse. Quamobrem Montacutius, qui primus hunc in Justino insignem anachronismum deprehendit, in Analectis ecclesiasticarum exercitationum, exercitatione 4. tam turpiter lapsum Justinum non putat; sed hæc verba: τὸ ἔχθαλδαίην ἰσραὴλ γράψαντες, scioli alicuius, harum rerum & temporum parum gnari, glossema esse censet, qui alium Berosum non putaret fuisse, præter istum historiæ Chaldaicæ conditorem; cum alium multo antiquiorem isto extitisse constet. Euge vir perspicacissime, libenter recipio tuam hanc animaduersionem, eruditumque iudicium amplector.

### CAPVT III.

*Difficultas alia ex Pausania verbis notatur. Omnium difficultatum enodatio, & litis propositæ de patria Sibyllæ, tum Sibyllarum numero, disceptatio & finis.*

**M**ihi autem alius animus scrupulus percusserrat ex Sibyllæ denominatione illa ab Erythra Asiæ ciuitate; quo pacto fieri possit, ut Erythraæ



thraea Sibylla fuerit Berofi filia, historiae Chaldaicae scriptoris, qui Alexandro Suppar fuit, quam Troiano bello superiorem fuisse Pausanias tradat? Quod ut pateat ipsamet eius verba adscribere placeat: *Ἐπὶ ταύτῃ (πέτρα) Δελφοὶ εἶσαν Φασὶν ἄσαι τὲς χρησμές ὄνομα Ἡροφίλην. Σιβύλλαν δὲ Ὀπίκλησον τὴν πρότερον γενομένην. Ταύτην ταῖς μάλιστ' ὁμοίως ἔσαν δὲ χαίαν ἔυρσκοον, ἣν θυγατέρα Ἐλληνες Διὸς καὶ Λαμίας τὸ Ποσειδῶνός Φασὶν εἶναι, καὶ χρησμές τε αὐτὴν γυναικῶν πρώτην ἄσαι, καὶ ὑπὸ τῷ Λιβύων Σιβύλλαν λέγασιν ὄνομαθῆναι. ἡ δὲ Ἡροφίλη νεώτερα μὲν ἐκείνης, φαίνεται δὲ ὅμως πρὸ τῶν πολέμων γεγονῆα καὶ αὐτὴ τῷ Τρωικῷ. hoc est: Saxum illic eminent, de quo Sibyllam Herophilen oracula canere solitam Delphi tradidere: quae cognomine Sibylla nuncupata ab initio fuit, perinde atque aliam quamuis antiquam fuisse comperi. Filiam Graeci Jouis & Lamiae dictitant: Lamiam ipsam Neptuno genitam, mulierum omnium primam vaticinatam, & ab Afris Sibyllam nominatam. Ista autem Herophile illa quidem posterior est: constat tamen & ipsam ante Troianum bellum viguisse. Hic duas, nisi fallor, agnoscit Sibyllas, utramque Herophilen dictam: vnam quidem vetustiore, nulli fatidicarum antiquitate cedentem; alteram eodem nomine sed posteriore aetate, quae tamen & ipsa rebus Troicis superior fuerit: quippe quam ibidem tradat praedixisse, Helenam quandam fatalem fore Asiae, cuius scilicet causa Graeci bellum illa-*



illaturi Troianis Iliumque euerfuri essent. Qui igitur fieri potest, vt tam vetusta, Beroso historico, qui Alexandri Magni ætate vixit, patre nata fuerit? Ita Pausaniæ etiam testimonio confirmatur censura Montacutii, de qua supra; eam scilicet Sibyllam, cuius meminit Plato, non fuisse eandem illi quæ fuit Berosi historici filia.

Sed & Strabo lib. 14. duas videtur agnoscere Sibyllas Erythris natas: vnam antiquiorem, alteram posteriorem; non tamen ambas antè bellum Troianum, vt apud Pausaniam. Quippe eam quæ posterior est, tempore Alexandri Magni vixisse tradit, præterea vetustioris nomen proprium non apponit. Mihi verisimile fit, harum saltem alteram, puta antiquiorem, illam ipsam esse Herophilen a Pausania & aliis nuncupatam. Verba Strabonis hæc sunt: ἐκ τῆς Ἐρυθρῶν Σίβυλλά Ἰβὼν ἔνθοις ἢ μανθικὴ γυνὴ τῶν δεχαιῶν τις. καὶ Ἀλέξανδρον δὲ ἄλλη ἦν τὸν αὐτὸν τρόπον μανθικὴ καλεσμένη Ἀθηναῖς ἐκ τῆς αὐτῆς πόλεως. *Ex Erythris est Sibylla quaedam numine afflata & vates mulier ex antiquis: tempore autem Alexandri alia quaedam extitit item vates Athenais nomine.* Quæ ostendunt, quanta in his sit perplexitas auctorum, vt vaticinio opus videatur ad hanc dictorum confusionem expediendam. Ecce enim aliæ turbant ambages de Cumæa & Cumana Sibylla, quas plerique omnes Varrone & Lactantio auctoribus distinguunt. Hic enim in Sibyllarum catalogo Cumæam quarto loco ponit, Cumanam



nam septimo: illam a Cumis vrbe Æolidis, hanc a Cumis Italiæ oppido volunt nominatam. Quibus suffragari videtur Stephanus in voce *Κύμη*: quo nomine cum quinque ciuitates diuersis in locis sitas tradat; eius quæ est in Æolide gentile nomen esse *Κυμαῖ* docet, eius autem quæ est in Italia *Κυμεύς*. Sit sane hæc distinctio gentilis nominis in genere masculino: quid si Sibyllam ab hac ipsa vrbe nominatam effari velim, quæ tandem inflexio dabitur masculini istius *Κυμεύς*? *Κυμῆς* ne, aut *Κύμοσα*, aut *Κύμεια* dicitur? At hoc esset nugari, cum nusquam hæc nomina reperiantur. Restat igitur vt *Κυμαίαν* itidem a *Κυμεύς* dicamus: ita enim Aristoteles in Admirandis Erythræam Sibyllam, quod Cumis Campaniæ vrbe in Italia habitaret, *Κυμαίαν* a quibusdam in Italia versantibus nuncupatam refert: neque aliter sane Maro Sibyllam quæ in ea ciuitate esset quam *Cumæam* vocat. Quin Antimachus vir aut Græcus aut Græce bene doctus, neque minus latini sermonis peritus, in præfatione ad Sibyllina oracula, quam Lactantius septimam ordine Sibyllam recenset & *Cumanam* vocat, ipse *Κυμαίαν* vertit. Ita nullum inter Cumanam & Cumæam discrimen ponit. Quam autem quarto loco memorat, eam non Cumæam neque Cumanam appellat, sed *Italiam*: *τετάρτη ἡ Ἰταλική, ἡ ἐν Κυμμερία τῆς Ἰταλίας*, id est, *Quarta est Italica, que in Cimmericia Italiæ mansit*. Cimmericiam Italiæ vocat eam partem vbi

est



est Auernus lacus ; quam opacam arboribus & spelunca horrendam Plutoni sacram creditum. Vbi Cimmerios a loci obscuritate ita dictos posuerunt, translato nomine ab iis qui Bosphorum Cimmerium incolunt. Strabó lib. 5. καὶ τὸ πὸ χωρίον Πλατώνιον ἢ ὑπελάμβανον, καὶ τὰς Κιμμερίας ἐνθάδε λέγεσθαι. Ibi locus Auernus fuit, de quo Aristoteles in Admirandis: *ὡθὲ τὴν Κύμην τὴν ὡθὲ Ἰταλίαν λίμνη ἴσθιν ἢ προσαναγορευομένη ἄσθιν*. Vide & Maronem in sexto Æneidos. Interim ex his Justinii locum supra allatum de Sibyllæ Babylone in Campaniam Italiæ transitu emendare licet : horumque loco, εἰς δὲ τὰ μέγιστα τῆς Καμπανίας, lege ex Antimacho εἰς δὲ Κιμμερίαν τῆς Καμπανίας.

Hæc cum ita sint, quærerem libenter ab Antimacho si viueret, quæ alia Sibylla apud Cimmerios Italiæ habitauerit, præter ipsam Cumæam cuius meminit Aristoteles in Admirandis, Herophilenque & Cumæam ab Italis dictam testatur; Virgilius item in sexto Æneidos, sed quam *Deiphoben Glauci*, nescio quos auctores secutus, appellat? Certe loci conditio eandem fuisse vatem confirmat, quando verisimile non est duas eodem in loco fuisse Sibyllas. Italica enim Sibylla Antimachi habitauit in Cimmeria Italiæ, hoc est, vt modo ostendimus, iuxta Auernum, vbi vulgo creditum patere aditum ad inferos. Quod autem & Maronis Sibylla iisdem in locis responsa daret, verba hæc Æneæ ad Sibyllam clare testantur:

Vnum



*Vnum oro (quando hic inferni ianua Regis  
Dicitur, & tenebrosa palus Acheronte refuso)  
Ire ad conspectum cari genitoris & ora  
Contingat: doceas iter, & sacra ostia pandas.*

Quorsum igitur hæc Italicæ a Cumæa distinctio, non video; nullum quidem ex verbis Antimachi locum esse distinctioni Cumææ a Cumana palam est. Quo alii, qui has distinguunt, fundamento nitantur, quidue ad id probandum afferant, videamus.

Richardus quidem Montacutius citato loco Baronium reprehendit, quod *Cumæam* Sibyllam omnium nouissimam Solino auctore dixerit, quam *Cumanam* Solinus vocet: tum quod hæc ab illa & quomodo distinguatur docet: *Diuersissima est (inquit) Sibylla Cumæa a Cumana, quod doctissimus Onuphrius obseruabat. Cumæa erat quæ sub Troiani belli tempora Cumis in Asia vaticinabatur; (quanquam apud Onuphrium per incuriam Italici belli legitur; cum deberet legi Iliaci) at Cumana fuis quæ Prisco Tarquinio regnante (alii Superbum volunt hunc fuisse) Romam venit, eidemque suos libros pretio e flammis redimendos offerebat.* Eademque virgula censoria Sixtum Senensem castigat, quod Cumæam & Cumanam Sibyllas confundat. Præterea aliter errasse ostendit, *dum Cumis ortam referens Cumanam vocat.* Quasi nomen id adiectiuum aliunde quam a Cumis deriuetur. Sed nimirum id vult, non recte Sixtum Sibyllam, quæ Cumis Joniæ orta esset,



Cumanam vocasse: quod Cumani ex oppido Cumarum in Campania, non autem ex illo quod est in Jonia dicantur: ut & Valla obseruat lib. 4. Elegant. cap. 85. Esto. Neque enim nobis disputatio est de nomine, sed de Sibylla: an duæ eo in loco Italiæ, quem describit Virgilius, Sibyllæ fuerint, vna Cumis Joniæ orta, altera posterior Cumis Campaniæ. Affirmat Montacutius sine vlla hæsitatione. Quidni? qui Solinum & Lactantium auctores habeat. Enimvero plerosque omnes recentiorum video pedibus in eorum sententiam vadere. Ita fere vsu venit, ut auctoritas apud multos pro iudicio valeat, neque vltra curent perpendere quod ab iis, quos plurimi faciunt, Scriptoribus proditum vident. Nos autem amplius considerantes, vnam fuisse Cumis Campaniæ Sibyllam, eamque eandem, quæ Cumis Joniæ orta sit, non dubitamus.

#### CAPVT IV.

*Non recte iudicare qui Cumanam Sibyllam quandam in Campania Italia post Cumæam vixisse censent.*

Ostendimus autem, Maronis poetarum, ut passim Julius Scaliger vocat, doctissimi, testimonio in sexto Æneidos. Quo loco Æneas responsum petens preces & vota Apollini fundit. Cui post-



postquam templa, ludos, & cerimonias promissit, ad Sibyllam conuersus his verbis eam quoque sibi propitiam reddit:

*Te quoque magna manent regnis penetralia nostris;*

*Hic ego namque tuas sortes, arcanaque fata*

*Dicta mea genti ponam, lectosque sacro*

*Alma viros.*

Quæ sunt igitur arcana illa fata Sibyllæ, quæ genti suæ, hoc est, Romanis dicta, in adyto & sacrario repositurum se promittit, quæ posteri exinde in rebus dubiis consulant, nisi eius, quam alloquitur, Sibyllæ carmina? Quod autem ibi Cumæam siue Erythræam Sibyllam, illam scilicet Cumis Joniæ natam, alloquatur, palam est; igitur huius Cumææ Sibyllæ, non alterius, nescio cuius, Cumææ Cumis Campaniæ ortæ oracula per Æneam, aut qui illi in Italia successerunt, ad Romanos fuisse transmissa; neque aliis vfos fuisse Romanos Sibyllinis libris doctissimo viro Maroni credendum est.

Quam autem aiunt Sibyllam multis post seculis ad Regem Tarquiniū venisse cum tribus, vel vt Gellius tradit, nouem libris oraculorum, eam non fuisse Sibyllam putandum est. Certe Gellius, qui eam historiam ex antiquis Annalibus refert, eam quæ ad Tarquiniū accessit *Sibyllam* non appellat, sed *anum hospitam, eamque incognitam*. Sic autem scribit: *In antiquis annalibus memoria super libris Sibyllinis hæc prodita est. Anus*



*hospita atque incognita ad Tarquinium Superbum Regem adiit, nouem libros ferens, quos esse dicebat diuina oracula: eos velle dixit venundare. Cætera eo loco legantur: in quibus mulierem solum appellat, nunquam Sibyllam; hæc tantum in fine addit: sed eam mulierem tunc a Tarquinio digressam postea nusquam loci visam constitit. Quæso, si hæc mulier Sibylla fuisset, Cumis Campaniæ genita & ibi habitans, num hospita aut anus incognita diceretur?*

Sed neque Seruius Virgiliti interpretis Sibyllam vocat, sed mulierem simpliciter vt Gellius, de his libris differens ad hæc Poetæ verba: *tuas sortes arcanaque fata.* Ita igitur Seruius: *Tuas sortes Sibyllina responsa: quæ, vt supra diximus, incertum est cuius Sibylle fuerint: quanquam Cumane Virgilius dicit, Varro Erythrææ. Sed constat, regnante Tarquinio quandam mulierem nomine Amaltheam obtulisse ei nouem libros, in quibus erant fata & remedia Romana.*

Cui porro naris paulo emunctioris non fabulosum videatur quod sequitur de librorum pretio & combustionione, cum rex quanti eos anus faceret emere nollet? *Foculum* (inquit Gellius) *coram eo (Rege) apposuit, & tres libros ex nouem deussit.* Si apposuit, ergo attulerat secum, & quidem bene accensum & lucentem: aliter non potuisset tam subito ob oculos regis eorum librorum tres consumere, & breui post temporis interuallo tres alios: nec credendum, regem patienter tamdiu  
hanc



hanc scenam & anus importunitatem ferre potuisse, præsertim superbum. Quamobrem Seruius dicto loco aliter narrat: hanc scilicet anum *pro iis libris poposcisse tercentum philippeos, qui aurei tunc pretiosi erant: qua contempta alio die tribus incensis reuersa est, & tantum poposcit: item tertio aliis tribus incensis cum tribus reuersa est: & accepit quantum postulauerat, hac ipsa re rege commoto, quod pretium non mutabat.* Quo sane modo plausibilior fit narratio.

Sed iocularem eo loco Seruii errorem in temporum ratione nemiri animaduersum obiter annotare libet, dum Philippeos nummos Tarquini Superbi ætate pretiosos fuisse dicit. Qui quantum ea opinione aberret, vel ex Gellii lib. 17. cap. 21. vbi chronologiæ specimen quoddam exhibet, intelligi potest. Ibi namque Homerum & Solonem, quem supparem Homero fuisse inter omnes conuenit, ante Romam conditam centum & sexaginta annos vixisse, ex Chronicorum Cornelii Nepotis libro primo refert. Et paulo post, eundem Solonem leges Atheniensium scripssisse, Tarquinio Prisco regnante, anno regni eius 33. a quo non magno temporis interuallo Tarquinius Superbus vltimus regum abfuit. Ex quo, vt dixi, patet, multis seculis ante Philip-pum Macedonem Alexandri patrem vixisse Tarquinium Superbum; vtpote qui Cyri maioris, Monarchiæ Persarum fundatoris, & Solonis *σὺν* *ξεγν* fuerit. Quod cum ita sit, non video



quomodo Philippei nummi eo tempore pretiosi esse potuerint, quo tempore nondum Philippus rex, a quo iis nomen, natus erat. Sed hæc obiter: ad propositum reuertor.

Hinc quoque confirmor, non fuisse eam animum Sibyllam, quod verisimile mihi non fit, feminam vatem & numine instinctam animum vsque adeo demittere voluisse, vt libros suos ad Regem velut ad nundinas vendendi causa afferret, & pretio exponeret. Longe hoc profecto remotum a dignitate & moribus. In quo etiam illud absurdum occurrit consideranti. Aut enim omnes eos vaticiniorum libros vt Romanis diuinitus conscriptos penes eos esse & conseruari oportebat: vel horum tres tantum. Si integros nouem, cur sex comburit? si non omnes, sed tres tantum, cur omnes venales proponit? Nec vero nobis primis suspecta hæc Cumana Sibylla fabulositatis, sed & aliis doctis viris: in his & Joanni Tristano, solertissimo antiquitatum ex veterum numismatum monumentis indagatori, qui de hac re eleganter & docte in Commentariis suis historicis disputat.

Vnus modo restat scrupulus ex Plinio; qui Sibyllam ad Tarquinium Superbum cum libris adiiisse confirmat libro & capite 13. *Inter omnes vero (inquit) conuenit, Sibyllam ad Tarquinium Superbum tres libros attulisse. Ex quibus duo cremati ab ipsa, tertius cum Capitolio Syllanis temporibus.* Sed quod de his non multum curauerit



Plinius quam vera essent, verba eius ipsa ostendunt. Primum, inter omnes ait conuenire, tres libros a Sibylla allatos Tarquinio. Atqui aliter A. Gellius, vt visum est, ex antiquis Annalibus refert: nempe nouem libros ab anu quadam incognita ei regi oblatos. Cum igitur, contra quam Plinius censet, de eorum librorum, qui ad Tarquinium allati sunt, numero non constet; cur de conditione & nomine eius mulieris, quæ attulit, magis ex hoc Plinii loco constare debeat, non video. Hoc modo vanescit illa persuasio quorundam de septima illa Sibylla Cumana Tarquinii regis suppare. Nec tamen inficiamur quod proditum historiis est Populi Romani, quod Plinius suæ ætatis doctissimus, quod eruditissimus Noctium Atticarum lucubrador scriptis popularunt: fatemur anum hospitam & incognitam, vt ait Gellius, ad Tarquinium Superbum adiisse, & libros ei fatales attulisse: non tamen quæ esset Sibylla, sed quæ aliunde nacta eos libros, nescio quomodo, fortasse ab ipsa Erythræa Sibylla, sub mortem illi traditos & commendatos, mandato ipsius ad regem detulit, & pretio addixit. Quæ cum pecunia accepta, quantam voluit, e medio excessisset, inque patriam & regiones remotas remeasset; nihil mirum, si suspicio de ipsa facta est vulgo quod Sibylla esset, argumento librorum quos ad Regem attulisset: ceu necesse esset eorum librorum esse auctorem, quos in potestate haberet ad venundandum aut com-



burendum. Ita plane sentiet de hac historia qui incertis auctoritatibus ac vulgi rumore posthabito iudicium adhibere volet; vt quod magis verisimile est, & potiorum auctorum dictis consentaneum, sequatur.

## CAPVT V.

*Scrupuli de aliis Sibyllis tolluntur,  
atque vnā fuisse Erythræam  
Sibyllam ostenditur.*

**S**ublata e medio Cumana Sibylla, reliqui pro-  
nuiore iam negotio circa alias Sibyllas scrupuli  
tolluntur: eademque opera ostenditur, vnde il-  
la multarum Sibyllarum opinio incesserit. Enim-  
vero non video quid nunc obstet, quin vnā fu-  
isse Sibyllam illam Græcis cognitam & celebra-  
tam Herophilen, cognomento Erythræam, ponamus.  
Siue hæc vere, vt quibusdam visum, Ery-  
thris orta fuit, siue Marpesso, siue Gergithe, siue  
e quauis alia Græciæ ciuitate, qua de re olim cer-  
tatum inter Græcos fuisse supra ex Pausania osten-  
dimus; siue etiam, quod Iustinus Martyr credi-  
dit, Babylone patre Chaldæo Berofo, non illo  
qui Chaldaicam scripsit historiam, sed alio anti-  
quiore: ab eo autem oppido nomen traxisse, in  
quo diutius mansisset, ideoque Erythræam fuisse  
nuncupatam. Aut cuiquam in credibile videatur,  
mulie-



mulierem Babylone natam transiſſe in Græciam, Erythris, Cyme, & aliis in vrribus Joniæ & Græciæ diuerſatam, in iis famam ſui & diuinationis monumenta reliquiſſe, ex quo occaſio poſteris data ambigendi de patria eius & certamen exortum?

Immo verò non deſunt, qui hanc Japheti, qui vnus fuit e Noe filiis, vxorem fuiſſe exiſtiment, quæ Græcis Erythræa dicta eſt: ita quidem vt ſua oracula ſeculo forte vno vel altero poſt turrim Babylonicam linguarumque diuiſionem græce ediderit; extiterintque illa oracula & nota hominibus aliquot ſeculis ante datam Moſi legem, licet nondum tunc literis mandata eſſet. Meminit huius opinionis Jo. Henricus Vrfinus Exercitationum familiarium de Zoroaſtre Baſtriano, Hermete Trismegiſto, Sanchoniathone Phœnicio & eorum ſcriptis, *ωδγαλειπ.* ſect. 4. & ſingularem opinionem vocat. Cui tamen, ſi qua Sibyllinis Græce ab Opſopæo editis fides habenda, ipſamet lib. i. ſuffragatur Sibylla, nurum ſe profeſſa Noe Patriarchi; item in calce libri tertii, vbi de genere ſuo his verſibus teſtatur:

Ταῦτα σοι Ααυρεῖης Βαβυλωνία τεῖχεα μα-  
 κροῖ  
 οἰεσμανῆς περιπῆσαι εἰς Ελλάδα· πεμπό-  
 μρον πῦρ  
 πᾶσι περιφητόσαι θεῶν μηνύματα θνητοῖς,  
 ὅς τε περιφητόσαι με θεοῖς ἀνίγματα  
 θεῶν.



καὶ καλέεσι Ἑρτοί με καὶ Ἐλλάδα πατρίδ<sup>Ⓞ</sup>  
ἄλλης,

ἐξ Ἐρυθρῆς γεγαῖαν &c.

Vbi expresse Babyloniam se dicit, Babylone autem missam diuinitus in Græciam vaticinandi causa: licet Græci apud se natam Erythris mentionantur. Tum paucis interiectis se Noachi numerum non minus diserte profitetur vltimis verbis:

ὅτε γὰρ κατεκλύζετο κόσμ<sup>Ⓞ</sup>  
ὑδασι, καὶ ἦς ἀνῆς μόν<sup>Ⓞ</sup> εὐδοκίμη<sup>Ⓞ</sup> ἐλεί-  
φη.

ὑλοτόμῳ ἐνὶ οἴκῳ Ἰππλώσας ὑδάτεσσι,  
σὺν θηροῖσι, πτηνοῖσι δ', ἵν' ἐμπλήσῃ πάλι κόσ-  
μ<sup>Ⓞ</sup>.

τὸ μὲν ἐγὼ νύμφη, καὶ ἀφ' αἵμα<sup>Ⓞ</sup> αἰσ<sup>Ⓞ</sup>  
ἐτύχην.

Quæ sic vertit latine (vt potuit) Sebastianus Castalio:

*Hæc sunt, quæ moneo Assyria Babylone profecta,  
In Græcos ignis missus, fanatica, cunctis  
Exponens diuina Dei præsignificata,  
Mortali vt generi diuina ænigmata pandam.  
Et tamen ex alia patria me Græcia dicit  
Ex Erythra natam &c.*

*Siquidem cum dilueretur  
Mundus aquis, cum vir solus probus exuperauit  
Quidam, quem per aquas vexit domus eruta  
filuis,*

*Et pecudes & aues, rursum impleretur vt orbis,  
Eius ego nurus.* Vt



Vt potuit, inquam, non male quod sensum attinet; secus si numeros spectamus, quorum nullam fere habuit rationem: sunt enim incompti & insuaues versus. vt omittam mendum in quantitate, quod vitare non potuit, pronominis *ego*, vltima producta, quæ semper breuis apud bonos auctores. Sed hæc obiter.

Ex his quidem apparet, Babyloniam fuisse eam vatem, quam Græci & Sibyllam nominauerunt, & Erythris natam prodiderunt; nomine ab vrbe indito, vt fit, *Erythræam* vocantes. Quod etiam amplexus est Firmianus, quo loco notat, non potuisse discerni, versus Sibyllini cuius Sibyllæ essent, ob confusionem, præterquam vnus Erythrææ, *quæ & nomen suum verum carmini inseruit, & Erythræam se nominat, ubi prælocuta est, cum esset orta Babylonie.* Solum hoc minus consonum versibus allatis videatur, quod in iis, quos habuit Lactantius, versibus Sibylla nomen suum verum carmini inscripsit, & se Erythræam esse confitetur: in versibus laudatis negat præcise se esse Erythræam, sed putari ab hominibus qui in Græcia versantur:

καὶ καλέσαι βροτοὶ με κατ' Ἑλλάδα πατρίδ' ἄλλης

ἐξ Ερυθρῆς γεγαῖαν, ἀναδέα.

Hæc profecto non quadrant, neque verisimile videtur, hanc, quæ se tam aperte Babyloniam fateatur, cum nomen suum carmini inscriberet, sese Erythræam dixisse. Dici tamen potest, in hoc

secu-



fecutam esse vulgi opinionem: vt quando a Græcis passim *Erythraea* vocaretur, & hoc cognomen innotesceret, noluisse istud mutare, sed carmini inscripsisse, ne alia ab ea, quam Græci nossent, putaretur. Esto. At quod verbis modo allatis se quoque *ἀναιδέα*, hoc est, *impudentem, prostratæ pudicitie mulierem*, ab hominibus dici conqueritur, quis hoc Sibyllæ Græcorum vati conuenire dicat, qui eorum meminerit, quæ supra de Sibyllæ & aliorum vatum apud Græcos, si non vera, saltem credita & celebrata castitate disputauimus? Pugnant certe hæc, neque conciliari vllō modo possunt, vt non dubitem vel hoc solo argumento quæ in manibus habemus Sibyllina explodere vt supposititia. Sed de his infra accuratius considerabimus.

## CAPVT VI.

*Aliarum Sibyllarum quæ ab aliis passim auctoribus celebrantur, ad vnã Erythream reductio. Iterum de Sibylla longo æuo, tum peregrinationibus.*

**H**Æc qui depositis præiudiciis serua & attentamente perpendet, magis suspectam hanc Sibyllarum a Varrone & aliis proditarum multitudinem habeat, necesse est; tum aliquam rationem



nem requirat, qua se ab hac perplexitate & male  
coherentibus quorundam dictis expediat. Hæc  
autem vna mihi optima videtur, vt dicamus,  
vnam fuisse Sibyllam nomine *Herophiten* primum  
appellatam, postea *Sibyllam*, Erythris Joniæ vel  
Cyme proxima ciuitate ortam, quam inter alias  
celebriorem fuisse ac nobiliorem Lactantius ipse  
fateatur, cum plures fuisse Sibyllas Varronis au-  
ctoritate impulsus putaret.

Ego istam, quæ maxime illustris fuit, vnam  
fuisse contendo, *Sibylla* nomine apud Græcos ce-  
lebratam; ex hac autem vna & singulari Sibyl-  
la plures vulgi errore inductas, duabus de cau-  
sis, vt equidem arbitror: quia longæua admo-  
dum fuit, & vitam vltra solitos ætatis humanæ  
limites produxit; tum etiam quia in tam longo  
ætatis decursu fere semper peregrinata est: ne-  
que tantum procul distitas orbis terrarum plagas  
adiit, sed etiam in iis satis diu versata est; quod  
iam enucleatius differendum est.

Ac de longo Sibyllæ æuo satis superque supra  
in eius indolis & proprietatum consideratione  
dictum est: quod autem hinc aliquis minus  
cautis de Sibyllarum multitudine error obiici  
potuerit, non me iudice tantum, sed etiam Seba-  
stiano Castalione viro docto in annotationibus  
ad suam versionem latinam Sibyllinorum oracu-  
lorum, quiuis intelligat, vbi ita scriptum est:  
*Præterea in fine libri septimi docet, se iam ardoribus  
& æuo confectam esse, sed tamen a tempore con-  
sumptum*



sumptum iri, neque semper victuram. Ex quibus locis patet, eam diutius vixisse quam ferret communis ætas hominum. Quæ res locum fecit fabulæ, quæ ab Ouidio in 14. *Metamorph.* posita est, ubi Sibylla ostendit sibi a Phæbo prorogam esse vitam, seque iam septingentos annos vixisse, & adhuc trecentos esse duraturam. Atque eadem eius vitæ longitudo in causa fuit (sicut ego existimo) ut quæ eadem esset plures esse putarentur: quod ea diuersis temporibus & locis apparens plurimum speciem præberet. Tum paucis interiectis ad obiectionem, quæ cuius ex tam inusitata & incredibili prorogatione vitæ in mentem venit, sic respondet: Neque est quod mihi quisquam obiiciat, Sibyllam tam diu viuere non potuisse, quod hominis vitam Deus Noë dixisset fore centum viginti annorum &c. Hoc, inquam, si quis obiiciet, respondebo, Deum de communi & vulgari vitæ curriculo dicere. Nam & Abrahamus, & alii multi diutius vixerunt, & Sibylla vixisse potest, cum Deus nulli sit obnoxius legi, quo minus faciat quod ipsi visum sit. Quæ non eo consilio affert, ut credamus Sibyllam mille annos vixisse, (tametsi Magi Artephium suum ea arte ad annos 1025 vitam sibi prorogasse autumant) quantum ætatis spatium fabulis annumerat; sed quod non putet absurdum, Sibyllam multis seculis transgressam limites humani æui notos.

Quod ad alteram causam attinet, nempe errandam vitam; omnes fere in eo consentiunt, quod



quod vniuersas prope mundi plagas obierit Sibylla, vtpote communis gentium vates. Aristoteles quidem in Admirandis, vt vidimus, & eum secutu Maro in sexto Æneidos, Erythris vel Cumis Æoliæ in Italiam venisse, & Cumas Campaniæ habitasse dicit. Justinus autem Martyr hanc ipsam Babylone in easdem oras transgressam ait. Sed & Pausanias per vrbes & insulas Græciæ diuagatam, variarumque terrarum hospitam fuisse refert: αὐτὴ ἢ Σίβυλλα (de Erythræa loquitur) ὤκησε μὲν τὸ πολὺ τῆς εἰς ἐν Σάμῳ, ἀφίκετο δὲ καὶ εἰς Κλάρον τὴν Κολοφώνιον, καὶ εἰς Δῆλόν τε, καὶ εἰς Δέλφους. ὁπότε δὲ ἀφίκοιτο, ὅππῃ ταύτης ἰσαμύνη πέτρας ἦδε τὸ μὲν τοῖς χεῶν αὐτὴν ἐπέλαβεν ἐν τῇ Τρωάδι. id est, *Hæc vero Sibylla magnam vitæ partem egit in Samo: sed & Claron quæ Colophoniorum vrbs est, venit: venit eadem Delon & Delphos. Ac Delphis quidem de quo diximus saxo vaticinia edebat sua. Ceterum in Troade errorum & vitæ fatalem terminum inuenit.*

Nec vero mirum id videri debet in Sibylla gentium omnium vate, quod commune esse constat aliis vatibus & ariolis, vt varias perambulent vrbes & mundi plagas, neque vlllo in loco certo diu consistere possint. Quo etiam videtur spectare Christi effatum in Euangelio: *Non habet propheta honorem in patria sua.* Quibus enim non est fides neque auctoritas in patria, quid aliud restat nisi vt ad alias gentes transeant & peregri-



regrinentur. Sed & Artemidorus commune vaticiniis & ariolis, vt ament vagari & obambulare ac circuire vrbes, notat libro 3. cap. 21. vbi de iis qui somniant sese vates esse effectos: *Φέρει ἡ καὶ ἀποδημίας πολλάκις καὶ κινήσεις τῶ ἰδόντι τὸν ὄνειρον. διὰ τὸ τῆς μάντις ὀφειοσεῖν.* id est, *Portendit sepe etiam peregrinationes & motus hoc somnium ei, qui vidit: propterea quod vates errandam vitam agant.* Idem de Abaride Hyperboreo vate testatur Apollonius in Admirandis historiis sectione 4. *Αβαρις ἡ ἐξ ὑπερβορέων ἦν μὲν καὶ αὐτὸς τῶν θεολόγων. ἐγράφε δὲ καὶ χρησμούς ταῖς χώραις ὑπερχόμεναι, οἱ εἰσι μέγρι τῶ νῦν ὑπάρχοντες.* id est, *Abaris & ipse e Theologis erat Hyperboreis. Scripsit autem & oracula regionibus, quas oberrans lustrabat: que ad hoc vsque tempus extant.* Haud secus & de Hilarione monacho, non quidem professione vate sed gratia & dignatione, qui semper numen in pectore habebat, rumor illis temporibus, Hieronymo auctore in eius vita, percubuerat, diu eum in eodem loco manere non posse. Verum hoc ille non vt pluribus vaticinia ederet, faciebat, sed vt honorem fugeret, & importunitatem, qui semper silentium & vitam ignobilem desiderabat. Qua fortasse & causa impulsam fuisse Sibyllam ad peregrinandum non dictu absurdum iudico: quæ tantopere & ipsa solitudinem & silentium amauerit. Qua de re supra abunde a nobis consideratum est.



Utigitur huic disputationi finem tandem imponamus, sic mihi videtur de Sibylla statuum: huic Erythras aut Cymen Æoliæ urbem ortum dedisse, quocumque patre, siue Berofo, ut censet Justinus Martyr; siue Gnosto, ut in Pseudo Sibyllinis scriptum est; siue Glauco, ut Maroni placet: de qua re quid verum sit, inuenire difficile, nec multum ad rem pertinet; ætate superiorem quidem fuisse Troiano bello, quanto autem tempore, ne id quidem certo sciri posse. Nam quod quidam hanc Noachi patriarchæ æuo, hoc est, ante diluuium vixisse censent, & Japheti uxorem fuisse, quo argumento hanc coniecturam firmare possint, non video: nisi quod hanc Noachi nurum fuisse, in illis Sibyllæ oraculis legunt. Sed hoc quam firmum sit fundamentum infra patebit: quo loco, non esse genuina hæc Sibyllæ oracula sed supposititia, rebus addicam necessariis. Hanc quoque varias obiisse vrbes, in iisque vaticinationum suarum monumenta reliquisse, præsertim Erythris, Cumis Joniæ, Samo, & aliis Asiæ ciuitatibus, vti Pausanias tradit, verisimile est: quod magnam populis præbuisse occasionem putandum est, credendi non vnã fuisse Sibyllam sed plures: cum diuersæ vrbes in suis templis Sibyllæ oracula reposita haberent. Quin Cumas Campaniæ venisse, & ibi habitasse, Aristoteli id prode in Admirandis credendum est: idque accidisse non multo tempore post Ilii excidium, si quidem non vanum esse putamus & o-



mnino poeticum, quod Virgilius in sexto memorat, de ingressu Æneæ ad Sibyllam Cumæantum temporis oracula edentem in Italia iuxta Cumas Campaniæ oppidum, & in antro ibi habitantem, summa loci religione & horrore ob furem & responsa eius vatis. Verum quo minus falso id a Virgilio proditum credamus, auctoritas obstat Aristotelis in Admirandis, toties iam laudato loco; vbi Sibyllam Cumis Italiæ habitasse Erythræam refert: quod profecto non scripsisset, nisi fama vulgatum & propemodum gentium consensu ita esse persuasum fuisset.

Hanc igitur vnam Sibyllæ nomine aîo Græcis cognitam fuisse: si quæ autem aliæ fatidicæ eodem nomine appellatæ sunt, quod sane fatendum est, eadem licentia factum esse, qua Ouidius in *ματαιοτεχνίας*, omnes viros *Danaos*, feminas omnes *Amazonas* appellat: & hisce temporibus Christianæ reipublicæ imperatorem *Cæsarem* vocamus, quem tamen scimus nulla ex parte attingere familiam Cæsarum.

## CAPVT VII.

*Sibylle per varia orbis terrarum loca discursus. Propbetarum raptus ab angelis: Et de sagitta Abaridis.*

**Q**uia dictum est ostensumque Artemidori verbis,



verbis, ad institutum vatum quoque pertinere  
 vt varia orbis perambulent loca vaticinii causa,  
 eodemque consilio Sibyllam Græcas Asiæ perlu-  
 strasse vrbes, insulas obiisse, in Italiam vsque cur-  
 sum tenuisse, & ibi vaticiniis floruisse; rationes  
 huiusmodi peregrinationum altius scrutari co-  
 gunt nos Iustini illius martyris & philosophi ver-  
 ba, qui Babylone quidem transisse in Campaniæ  
 eras Sibyllam dicit, quo autem pacto, sese igno-  
 rare fatetur: *εἰς ἣ τὰ μέση τῆς Καμπανίας, ὅτε  
 ὄντα ὅπως, διαβάσων.* Emenda, vt supra, *εἰς δὲ  
 Κιμμερίαν τῆς Καμπανίας,* hoc est, *in Campaniæ  
 Cimmeriam nescio quo modo transisse.* Non du-  
 bitat transisse; modum quo tantum telluris in-  
 firma & inops muliercula obierit, se ignorare fa-  
 tetur. Nempe aliud agenti non vacat profun-  
 dius inquirere in eam rationem: nos modum  
 eum hic poscente instituto inuestigare haud gra-  
 uabimur, vel potius coniectare ex aliorum vatum  
 historiis, quos ab vna regione cito in alias remo-  
 tissimas abductos legimus, tanta peregrinandi fa-  
 cultate, vt iis non montium aspera, non fluuior-  
 um & torrentium impetus, non vlla itineris in-  
 commoda & discrimina obesse possent.

Vt id intelligamus, reuocandum in memori-  
 am est quod supra notauimus, de perduellium  
 superbia & malis artibus dæmonum. Cum enim  
 nobis sint inimicissimi, tamen amici & beneuo-  
 li videri volunt. Quod vt persuadeant, Dei si-  
 militudinem prætendunt, & quæ Deum facere  
 vident



vident, imitantur: vt cum in aliis tum in vatum & prophetarum rebus manifeste apparet. Quia etenim Deus semper homines habuit sibi deditos ad quos familiarius accederet, quos & arcanorum suorum conscios haberet, qui quæ futuris temporibus facturus ipse esset, vbi opus esset, populis prædicerent; eiusmodi & Daemon ministros, hoc est, vates vbiq; terrarum sibi subditos habuit, quorum animis aliquam rerum futurarum lucem infunderet, quod non illi esse negatum infra suo loco ostendemus.

Cæterum inter dona illa, quibus Deus optimus maximus prophetarum suorum & sanctorum eximios ab aliis fecernere voluit, subita est locorum mutatio, & ab vna regione in alias remotissimas vehemens corporum humanorum nullo ipsorum labore transmissio: quam vim in nonnullis Deum ostendisse prophetis reconditæ Hebræorum literæ certis exemplis docent. In quibus legimus Habacuc vatem Judæa Babylonem translatum diuinitus angeli ministerio, qui eum capillo apprehendit & ita in sublime raptum transportauit. *Et apprehendit eum angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui.* Eadem vi raptum & Philippum, non eum qui inter Apostolos, sed diaconum, legimus in Actis Apostolorum, vbi de baptismo agitur Eunuchi Candaces reginæ Æthiopum: *Cum autem ascendissent de aqua, spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius eum non vidit Eunuchus.* Phi-  
lip-



*lippus autem inuentus est in Azoto.* Non enim id prophetarum tam proprium fuit, vt non aliis sanctis, vbi res posceret, Deus concesserit, vt Philippo isti: tametsi omnes prope Christianos illis temporibus vberiore spiritu donatos vaticinari potuisse, & linguis alienis locutos scimus.

Cæterum in nullo priscorum sanctorum & prophetarum tanta hominum admiratione vis illa apparuit, quam in Elia Thesbite: quem ex iisdem literis constat solitum transferri in montes remotos, in speluncas, in auia nemora, in scopulorum abrupta, & feris horrendas & torrentium fragoribus solitudines; donec tandem flagranti procella & turbine igneo, quem Scriptura currum vocat, amicis coram spectantibus, e conspectu eorum est ablati. Sed hoc in mirando illo vate eximium, quod ei sic impetu diuino transferri in varia loca adeo frequenter accidebat, vt vulgo etiam notum esset. Hinc aliorum prophetarum consilium post eiusdem Eliæ discessum, de certis hominibus mittendis, qui eum per deserta & montes inuios quærerent, si forte quopiam de more translatus iaceret. *Dixeruntque illi: (filii prophetarum ad Elisæum Eliæ successorem) Ecce cum seruis tuis sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire & querere dominum tuum, ne forte tulerit eum spiritus Domini, & proiecerit eum in vnum montium aut in vnam vallium.* Neque vero inter prophetas tantum id de Elia vulgatum, sed vulgo etiam atque hominum sermonibus



bus celebratum fuit: quemadmodum apparet ex Abdia vnus e famulis regis Achab verbis, cum ei de improviso apparuisset Elias, iuberetque eum de aduentu suo regem certiozem facere: *Quid peccaui, (inquit) quoniam tradis me seruum tuum in manu Achab ut interficiat me? Viuit Dominus Deus tuus, quia non est gens aut regnum, quod non miserit Dominus meus te requirens. Et respondentibus cunctis, non est hic: adiurauit regna singula & gentes eo quod minime reperireris. Et nunc tu dicis mihi: Vade & dic Domino tuo, adest Elias. Cumque recessero a te, spiritus Domini asportabit te in locum quem ego ignoro: & ingressus nunciabo Achab; & non inueniens te interficiet me.* Hactenus de potentia Dei in viros sanctos, ad eos quo vellet angelorum suorum opera transportandos.

Nunc vt variis temporibus hæc opera Dei superbus daemon in suis consecraneis imitatus sit, illustribus gentium exemplis ostendam. In his celebratum illud de Pythagora philosopho, quem eodem die visum olim Metaponti Italiae, & Tauromenii Italiae, qui de eius rebus prodiderunt, consensu referunt. An corpore translatum, an præstigiis imagine eius oblata hominibus, ambigi potest. Sed vere translatum fuisse alia exempla occurrunt quæ fidem faciant. Auctor est Jamblichus in vita Pythagoræ cap. 28. id munus Abaridi Hyperboreo ab Apolline concessum fuisse, vt per aerem, quocumque vellet, cursum



magico inuectus iaculo tendere posset. Verba eius quibus inter alia priscorum vatum & sacerdotum miracula hoc quoque refert, adscribere placet: Δῆλα δ' αὐτῶν τὰ ποίηματα ὑπάρχει ἄλλως ἢ καὶ Ἀλεξάνεμῳ μὲν ὄν τὸ ἐπώνυμον Εὐπεδοκλέης. Καθαρτῆς (ita lege pro Καθαρίης) δὲ τὸ Ἐπιμενίδας. Αερωβάτης δὲ τὸ Ἀβάριδῳ. ὅτε ἀερα οἷσ' ὦ τ' ἐν Ὑπερβορείοις Ἀπόλλω δαρηθέντι αὐτῷ ἐποχέμεν, ποταμὸς τε ἢ πελάγη ἢ τὰ ἀβάτα διέβαινεν ἀερωβατῶν τρόπον τινα. ὅπερ ὑπενόησαν καὶ Πυθαγόραν Ἰνες πεπονηνάι τότε, ἠνίκα καὶ ἐν Μεταπόντῳ καὶ Ταυρομενίῳ τοῖς ἑκατέρωθεν ἑταίροις ὠμίλησε τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ. id est, *Ipsorum vero opera manifesta sunt, & ex iis ducta cognomina: Empedoclis quidem Alexanemos; (quod ventos arceret vel sedaret) Epimenidis autem Cathartes; (hoc est, mundus seu purus) Abaridis vero Aerobates. (quod per aerem graderetur) Nam cum Apollinis eius, qui ab Hyperboreis colebatur, iaculo sibi donato inequitaret, fluuios & maria ac loca inaccessa, per aerem quodammodo incedens, permeabat. Quod nonnulli Pythagorae quoque concessum suspicati sunt, cum & ipse Metaponti & Tauromenii, amicis quos utraque in ciuitate habebat, eadem die conuersatus fuisset.* Et infra eodem capite surreptum ait Abaridi id iaculum siue virgam auream a Pythagora, cum eum ex Hyperboreis aduenientem conuiuio excepisset. Quo facto eum coegit fateri quorsum istud iaculum ferret; qui confessus est,



non posse se absque illo vias, qua peregrinari debeat, vilo modo inuenire. τῆτον δὲ τὸν Αβαριν παρελόμυθον, ὃν εἶχε χρευσθὲν οἷτον, ἃ ἀνδρὶ δὲ οἷθον τ' ἦν τὰς ὁδοὺς ἐξέρμοικεν, ὁμολογῆντα ἐποίησε. Quæ pacto lamiae hifce etiam temporibus vehi a malis geniis dicuntur ad orgia nocturna. Quod genus vehiculi fortasse omniscius poeta, obscure licet, velut aliud agens, vt solet, indicare voluit, cum in vndecimo Æneidos Metabi fugam cum Camilla filia infante describit. Cum enim fugienti (nam hostes conferti premebant) Amifenus amnis obuius transeundus esset, neque auderet cum infante fluuio lato & spumanti se committere, hanc telo ingenti alligans, viribus, quantis pollebat, cum telo intorfisse dicitur, ac transmisisse ad alteram ripam, verum non sine Diana, quam inuocat, cui & puellam vouet:

*Ipse pater famulam voueo: tua prima per auras  
Tela tenens supplex hostem fugit: accipe: testor  
Diuam tuam, quæ nunc dubiis committitur auris.  
Dixit, & adducto contortum hastile lacerto  
Immittit: sonuere vnde: rapidum super amnem  
Infelix fugit in iaculo stridente Camilla.*

His an ad iaculum Abaridis alluserit Virgilius, eruditus iudicandum relinquo. Verum quod ad hunc loca transmittendi modum attinet, huius & Lucianus meminit in Philopseude siue Incredible fol. 831. tametsi suo more irridet. Quo loco & quidam narratur itidem ex Hyperboreis



conspectus, cum per aerem interdium incederet, atque etiam super aquas: οὐ ταῦτα, ἦν δ' ἐγὼ, εἶδες, τὸν ὑπερβόρεον ἄνδρα πετόμενον, ἢ ὅτι τὰ ὕδατα βεβηκότα; καὶ μάλα, ἦδ' ὅς &c.

Hæc non dubito fore multos qui irrideant, homines ignavos & in Luciani ludo educatos. Nec mirum. Longe enim facilius est cuius contemnere quæ non intelligit, quam operam dare & satagere ut intelligat. Quibus aliud non respondebo, quam quod Apuleius in 1. Metamorph. cuidam qui id genus compreta audiebat solo cachinno explodenti: *Tu vero (inquit) crassis auribus & obstinato corde respicis quæ forsitan vere perbibeantur. Minus hercule calles pravisimis opinionibus ea putari mendacia, quæ vel auditu noua, vel visu rudia, vel certe supra captum cogitationis ardua videantur: quæ si paulo accuratius exploraris, non modo compertu euidencia, verum etiam factu facilia senties.* Quid? Nonne Judæorum magistris & Cabalisticis creditum, vias quamlibet arduas, longas, difficiles, breui temporis spatio confici posse nominis ineffabilis pronuntiatione. In scripto Rabbinico de vita & morte Mosis, quod Gilbertus Gaulmynus Molinensis, vir doctissimus, latine conuersum & notis elegantissimis illustratum in lucem edidit, sic loquens Moses ad Deum inducitur: *Si permittis, ego in virtute nominis tui volucris fiam, ac super Jordanem volans, terram (promissionis) adibo & videbo.* Sed & Benjamin Tudelensis in Itiner



rio de Dauid Altoi: *Illo die & decem dierum iter conficit ad Amoriam vsque ineffabilis nominis pronuntiatione.*

Superstitiosa hæc, inquires, & Rabbinica. Fa-  
teor: non tamen continuo falsa cenferi debent.  
Nam & hos, veræ lucis exortes atque in super-  
stitionem prolapsos, dæmonum patuisse ludi-  
briis, & quæ dæmonum instinctu patrabant, vir-  
tuti diuinæ adscripsisse, velut priscos gentium sa-  
pientes, & ita prodita ab iis miracula explicare ge-  
nerosum magis & cordato viro congruens iudi-  
co, quam fidem tot testibus derogare, tot litera-  
rum monumenta barbaro fastu subruere ac de-  
moliri. Hæc autem eo consilio sic vberius &  
latius differere visum est, vt desinant mirari ho-  
mines minus in veterum literis versati, longin-  
quas illas Sibyllæ peregrinationes: immo hoc  
dæmonis ingenio & factis quam maxime esse  
consentaneum intelligant, vt quam primariam  
gentium omnium sibi subditarum vatem consti-  
tuisset, ei se vt ad omnem vaticinandi operam,  
sic ad celeres locorum transmissiones & alia  
miracula facilem & promptum exhiberet.





## CAPVT VIII.

*De antris in quibus Sibylla habitasse dicitur. De Corycio: plura eius nominis fuisse; an istud nomen appellatum; Ερμεία πεδία apud Galenum in descriptione Philonii.*

Sibyllam secessum & solitudinem amasse, vt fere omnes diuiniore naturæ sibi conscios, supra attigimus, cum de longa eius vita & solitudine nobis disputatio esset; nunc de antris, in quibus aut nata aut versata fuisse dicitur, paulo accuratius considerandum reor; cum ad res Sibyllæ hæc cognitio pertineat. Erythræi quidem, qui Sibyllæ natales contentiosius sibi vindicabant, in spelunca sub monte Coryco apud se ortam eam contendebant. Pausanias in Phocicis: Ερυθραῖοι δὲ (ἀμφισβητοῦσι γὰρ τῆς Ἡεροφίλης παρονομασίατα Βλλήνων) Κώρυκόν τε καλὸν ὄρεον, καὶ ἐν τῷ ὄρει ἀπὸ Φαίνου, τεχθῆναι τὴν Ἡεροφίλην ἐν αὐτῷ λέγοντες. id est, Erythraei (de Herophile enim hi acerrime Græcorum omnium certant) Corycum montem, & in eo antrum ostendunt, in quo natam Herophilen dicunt. Meminit & Strabo eius montis lib. 14. πρὶν δ' εἰπεῖν ὅτι τὰς Ερυθραῖς, πρῶτον μὲν Γέρας πολίχων, εἶτα Τήιον, εἶτα Κώρυκον ὄρεον ὑψηλόν.

Ante-



*Antequam Erythras perueniant, primum quidem occurrit oppidulum Gera, postea Teium, tum Corycius mons altus.* Stephanus quoque in hac voce: ἔστι καὶ Κώρυκκος ὄρη δ' ἄρσενικῶς λεγόμενον, ὑψηλὸν, πλησίον Τέω τῆς Ἰωνίας καὶ Ερυθρῶν. Ita enim lego, non vt in excusis libris ἐρυθρῶν. id est, *Est ὁ mons Corycius generis masculini, excelsus, Teo Joniæ ὁ Erythris vicinus.* A monte igitur isto antrum illud, in quo natam dicunt Sibyllam, nominatum fuisse Corycium, non est cur quisquam dubitet. Non tamen perinde istud fama inclytum fuisse fatendum est, atque alia eiusdem nominis in Cilicia & Parnasso; quorum Stephanus seorsim mentionem facit his verbis: Κώρυκκος πόλις Κιλικίας, παρ' ἣ τὸ κωρύκειον ἄντρον Νυμφῶν, ἀξιάγασον θαύμα, ὃ ὁμῶνυμον ἐν Παρνασσῶ. id est, *Corycius oppidum Ciliciæ, cui vicinum est Corycium antrum Nymphis sacrum, inter naturæ miracula celebrandum: cui alterum eiusdem nominis in Parnasso nobilitate haud magnopere cedit.* Quæ Stephani verba vel mediocriter curiosis cupiditatem injiciant accuratius cognoscendi naturam habitumque eius antri, quod tantam olim spectaculi admirationem visentibus moueret.

Quo spero facilius veniam me impetraturum a studiosis, si vocabuli eiusdem vestigia secutus, hincque occasione sumpta, paululum a proposito digredior in Corycium illud Ciliciæ antrum; hoc est, luculentam eius descriptionem a Pom-



ponio Mela geographico operi insertam legentium oculis subjicio, quæ ceu pictura eleganti superiorum disceptationum laborem & tristitiam discutiant. Ita igitur scriptor ille eloquens de hoc subterraneo specu scribit lib. I. cap. 13. *Non longe hinc Corycos oppidum, portu. saloque in-*cingitur, angusto tergoze continenti annexum. *Supra specus est, nomine Corycius, singulari ingenio, ac supra quam ut describi facile possit eximius. Grandi namque hiatu patens, montem litori appositum & decem stadiorum cliuo satis arduum, ex summo statim vertice aperit. Tunc alte demissus, & quantum demittitur amplior, vires lucis pendentibus vndique, & totum se nemoroso laterum orbe complectitur: adeo mirificus ac pulcher, ut mentes accedentium primo aspectu consternat: ubi contemplati durauere, non satiet. Vnus in eum descensus est, angustus, asper, quingentorum & mille passuum, per amœnas umbras & opaca silvæ quiddam agreste resonantis, riuis hinc atque illinc fluitantibus. Vbi ad ima peruentum est, rursum specus alter reperitur ob alia dicendus. Terret ingredienti sonitu cymbalorum diuinitus & magno fragore crepitantium. Deinde aliquamdiu perspicuus, mox & quo magis subitur obscurior, ducit ausos penitus, alteque quasi cuniculo admittit. Ibi ingens amnis ingenti fronte se extollens, tantummodo se ostendit, & ubi magnum impetum breui alueo traxit, iterum demersus absconditur. Intra spatium est, magis quam ut pro-*

gre-



gredi quispiam ausit, horribile, & ideo incognitum. Totus autem augustus & vere sacer, habitarique a Diis & dictus & creditus, nihil non venerabile & quasi cum aliquo numine se ostendit. Hæc Mela. Quem adeo hac in descriptione admiratus videtur Plinius, ut alias crebet his picturis in historia, veritus sit post Melam manum tabulæ admouere. Proinde idem antrum vix breui mentione attingere ausus lib. 5. cap. 27. statim præteruolat. *Juxtaque mare* (inquit) *Corycos eodem nomine oppidum, & portus & specus.* Verbum non amplius addit. Verumtamen de Coryciis antris notat lib. 31. cap. 2. destillantes in his guttas in lapides durescere. Quod sane Pausanias, ut mox videbimus, confirmat de Corycio Parnassi antro. Cæterum non idem pudor aut reuerentia Solino, qui & ipse inferior Pomponio Mela, obstitit quo minus eiusdem antri descriptionem tentaret, quam apud eum legat qui volet.

Magna & Corycii in Parnasso antri nobilitas fuit, neque admiratio minor, ut ex Pausaniæ verbis intelligi potest. Τὸ ἢ ἀντρον τὸ Κωρύκιον μέγιστον τε ὑπερβάλλει τὰ εἰρημνία, καὶ ὅτιν ὅτι πλείστον ὄρεσται δι' αὐτὰς ἔσ' ἀνὰ λαμπτήρῳ. ὅτε ὄρεσται ἐς αὐτὰρ κες διὰ τὰ ἐδάφης ἀνέστηκε, καὶ ὕδωρ τὸ μὲν ἀνερχόμενον ἐκ πηγῶν, πλείον ἢ ἐκ διὰ τὰ ὄρεσται σάξῃ, ὥστε καὶ δῆλα ἐν τῷ ἐδάφῃ σαλαγμῶν τὰ ἴχνη διὰ παντός ὅτι τὰ ἀντρος. id est, *Verum hæc omnia quæ enumerauimus*

magni-



magnitudine superat Corycium antrum: qui introierit, sine vlla face longissime progredi possit. Ab imo solo ad superiorem partem, quæ pro tecto est, satis multum interest spatii: multi hinc illinc e viuis fontibus fluitant riui; sed humoris multo plus ex ipsa antri quasi testudine destillat. Cernuntur vero passim in ipso solo guttarum vestigia. Vbi σαλαγμῶν ἵχνη, guttarum vestigia interpretor guttarum in lapidem concreciones per totum antrum. Quo pacto expositus Pausanias Plinii, vt dixi, historiam in hac Coryciorum antrorum proprietate confirmat.

Ab hocantro Corycio quod in Parnasso fuit Corycides Nymphæ nominatæ, vt apud Ouidium libro Transformationum primo in Deucalionis fabula:

*Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus  
Nomine Parnassus, superatque cacumine nubes.*

*Hic ubi Deucalion (nam cætera texerat æquor)  
Cum consorte tori parua rate vectus adhaesit,*

*Corycidas Nymphas & numina montis adorat.*

Meminit & Corycii seu, quod idem est, Corycei antri Aristoteles lib. de Mundo; sed cuius potissimum ex tribus memoratis, ex eius verbis intelligi non potest. Ita autem ibi scriptum est: διὸ καὶ τὰς μὲν ἀπερθεῖς διαγράφουσας ἡμῖν ἐνὸς τόπου φύσιν, ἢ μιᾶς ἑξήμα πόλεως, ἢ ποταμῶν μέγεθος, ἢ ὄρεος κάλλος, ὅσα τε ἕνεκα ἤδη πεποιήκασιν, φράζοντες, οἱ μὲν τὴν ὄσσαν οἱ δὲ τὴν Νύσ-



Νύσσαν· οἱ δὲ τὸ Κωρύκειον ἄντρον· οἱ δὲ ὄλην  
 ἔτυχεν τῶν ὀπί μέρους, οὐκίσειεν ἄν τις τῆς μικρο-  
 ψυχίας τὰ τυχόντα ἐκπεπληγμένους, καὶ μέγα  
 Φρονήσας ὀπί φερέα μικρὰ &c. id est, *Qua-*  
*propter istos miserari quivis iure possit, ut pusilli*  
*animi scriptores, res quaslibet vulgoque expositas*  
*summa admiratione prosecutos; qui nobis vnius*  
*loci naturam, aut orbis cuiusdam formam situm-*  
*que, aut magnitudinem fluminis, aut denique*  
*amœni montis aspectum describere instituerunt:*  
*cum interim magnifice de semetipsis sentiant, ob*  
*exilem quampiam naturæ perceptionem: cuiusmo-*  
*di nonnulli magno quidem illi studio fecerunt,*  
*accurata ut dictione describerent, hic Ossam mon-*  
*tem, ille Nyssam, alii Coryceum specum, alii quid-*  
*uis eorum quæ inter orbis particulas censentur*  
 &c. Coniicio autem de Coryceo potissimum  
 loqui antro, quod in Cilicia est, ut pote omni-  
 um eius nominis maxime stupendo & celebra-  
 to, ut ex eius supra allata descriptione apud Mē-  
 lam intelligi potest. Interim Philosophi inge-  
 nii magnitudinem & fastum notare licet: cui  
 præter mundum ipsum totum, singula quæque  
 in terris loca, vrbes, montes, speluncæ, & alia  
 eiusmodi particularia fordent, sola naturæ vni-  
 versitas satisfacere potest.

Habuit & Sicilia suum antrum Corycium; su-  
 um item Arcadia, Homero teste, in quo natum  
 Mercurium fabulantur. Qui cum multi eius  
 nominis apud auctores celebrentur specus, data  
 hinc



hinc occasio Hofmanno, acris ingenii viro, suspicandi *Κωρύκειον* non vnius esse antri nomen, sed omnium, ac vt Grammatici loquuntur appellatiuum. Quod ipse lib. 6. Variarum Lectionum cap. 3. testatum reliquit. Quid plura? Habemus & inter Græcorum prouerbia *κωρύκειος ἠκροάσατο Corycaeus auscultauit*: verum nihil hoc ad antrum Corycium aut Parnassi, aut Ciliciæ, aut eius quod iuxta Erythras fuit, pertinet; sed potius a Coryco Pamphyliaë monte istud epithetum latronibus inditum videtur, qui, vt Strabo & Zenodotus tradunt, per portus monti illi vicinos dispersi quæ ibi negotiatores agerent subauscultabant, vnde mox in eos capta occasione impetum facerent. Crocum quidem a Ciliciæ monte Coryco *Corycium*, a quo & antrum, nominatum satis constat: cui bonitatis in eo genere palmam Dioscorides & alii deferunt. Cur autem campos, in quibus is nascitur, *Mercuriales* vocet Philo Tarsensis medicus in Philonici descriptione apud Galenum lib. 9. cap. 4. *κῆ τὸπος*, consideratione eget. Philonis versus, quibus crocum poetica periphrasi designat, sunt ejusmodi:

Ξανθὴν μὲν τρίχα ἑάλλε μυρίπνυον ἰσοθέοιο,  
 ἔ λύθρης Ἑρμείοις λάμπεται ἐν πεδίοις.

Sic autem latine sonant: *Rutilum mitte capillum adolescentis vnguenta redolentem, cuius sanguis in campis Mercurii coruscat*. Est autem alia etiam lectio, cuius meminit Galenus:

○

Ἐρμεί-



Ερμείας λάμπεσαι ἐν ἑοτάναις.

*inter herbas Mercurii effulget.* Sed priorem retinent Codices.

Hofmannus, vir acutus & perspicax, dicto loco Ερμεία πεδία, hoc est, *Mercuriales campos* dictos putat, qui latronibus essent infesti: propterea quod Mercurius furum & latronum deus diceretur. Quam interpretationem, ut obiter dicam, non nauci esse lectio illa ostendit, quæ ἑοτάναις Ερμείας *herbas Mercuriales* habet: an enim quisquam tam futilis, ut herbas Mercuriales, quicquam cum latrociniis commune habere dicat? Et miror profecto id genus interpretationi tam remotum placere Hofmanno potuisse, cum longe meliorem a Galeno explanationem petere posset; quo loco carmen Philonis proponit, & voces in eo ænigmaticas sigillatim exponit. Hanc Galeni expositionem ipsius verbis subnectere placet: Λύθρον δὲ τῷ κρέκῳ φησὶν ἐν ταῖς Ερμείαις, τρεῖς ταῖς τῷ Ερμῆ λάμπεσαι ἑοτάναις. ἐπειδὴ μερῶν κλον καλῶμενον κρέκῳ, ἅμα τῷ Ερμῆ δισκέυων, εἰθ' ἐς ὅς ἀμελέεργον, ἐμπροσθέντος αὐτῷ δίσκου τῆ κεφαλῆ, συνέβη μὲν ἀποθανεῖν αὐλῆκα. τῷ δ' αἵματος εἰς τὴν γῆν ἀναχυθέντος, ἐξ αὐτῶ Φῦναι τὸν κρέκῳ. λάμπεσαι δὲ εἶπε τὸν λύθρον, τρεῖς τὸ ἀπὸ τῷ σφαγνῆτος αἷμα, διὰ τὸ σιλπνὸν τῆς χροῆς τῷ κρέκῳ. Tum alterius lectionis meminit sequentibus verbis: γράφεται δὲ ἕ μόνον, ἑοτάναις, ἀλλὰ καὶ πεδίοις, ὡδίπως ὁ σῖχος.

Ερμεί-



Ἐμείοις λάμπεται ἐν πεδίοις.

id est: *Cruorem autem croci fulgere adhuc in campis Mercurii dicunt. Adolescens enim Crocus nomine disco ludens cum Mercurio, & incautius adstans, illapso in caput ipsius disco statim mortuus est: ex sanguine autem eius in terram delato crocus natus est. Fulgere autem cruorem dixit, hoc est, sanguinem iam occisi, propter coloris croci splendorem. Scribitur autem non solum in herbis, sed & in campis in versu; hoc modo: fulget adhuc in campis Mercurii ille cruor. Ex quo nemo non videt, sicut crocus Mercurialis herba dicitur, quod de Croci pueri Mercurio dilecti cruore natus feratur; sic & eos campos, in quibus magna croci copia proueniret, eadem ratione Mercuriales a Philone esse nominatos, ab eo scilicet olere, quod Mercurii potestate de cognominis adolescentis primum sanguine emerferit. Sed hæc, ut dixi, obiter; ad propositum reuertamur.*

## CAPVT IX.

### *De Cumano Sibyllæ antro.*

**S**equitur alterum Sibyllæ antrum non minus veterum scriptis celebratum, atque ab ipso Aristotele in Admirandis; cuius verba de hoc antro supra laudata nihilo fecius reponere operæ pretium est. *Ἐν τῇ Κύμῃ τῇ πρὸς τὴν Ἰταλίαν*



δείκνυται ἴς, ὡς ἔοικε, θάλαμος κατάγειος Σι-  
βύλλης τῆς χρησμολόγου &c. *Cum is iis qua  
sunt in Italia quidam ostenditur, ut verisimile est,  
subterraneus Sibylle thalamus siue cubiculum mu-  
lieris fatidica &c.* Sed Maro in primis viden-  
dus de hoc Sibyllæ antro in sexto magni operis:

*Teucros vocat alta in templa sacerdos,  
Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum :  
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum,  
Vnde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ.*

Quibus ex verbis intelligi potest, quam spatiosa  
& vasta ea domus subterranea esset, cui centum  
aditus, centum ostia assignet. Sed maxime id  
confirmant Justinii Martyris verba quibus eam  
speluncam describit, in ea quam ad Græcos scrip-  
psit oratione exhortatoria: qui se hujus etiam  
testem oculatum fuisse dicit. Quamobrem  
hanc tam grauis auctoris descriptionem verbis  
ipsius adscribere haud grauabor: Εθεασάμε-  
θα δὲ ἐν τῇ πόλει γενόμενοι καὶ ἴνα τόπον, ἐν  
ᾧ βασιλικὴν μεγίστην ἐξ ἐνὸς ἐξεσμένην λίθου  
ἐγνωμῶν, πρᾶγμα μέγιστον καὶ παντὸς θάυμα-  
τος ἄξιον, ἐνθα τῶν χρησμῶν αὐτῆν ἀπαγγέ-  
λουν, οἱ ὡς τὰ πάτρια παρεληφότες πρὸς τῶν  
ἐαυτῶν προγόνων ἔφασκον. ἐν μέσῳ δὲ τῆς βασι-  
λικῆς ἐπεδείκνυον ἡμῖν τρεῖς δεξαμεναὶ ἐν τῷ  
αὐτῷ ἐξεσμένας λίθου. ὧν πληρεμένων ὕδατος,  
λέγεσθαι αὐτῆν ἐν αὐταῖς ἔλεγον, καὶ σολὴν  
ἀναλαμβάνουσαν, εἰς τὸν ἐνδόξαστον τῆς βασιλικῆς  
βαδίζουσιν οἶκον ἐκ τῶν αὐτῶν ἐξεσμένον λίθου. καὶ  
ἐν



ἐν μέσῳ τῶν οἰκῶν καθεζομένην ὅπῃ ὑψηλῆς ἐήματος  
 καὶ θρόνου, ἔτω τῆς χρησμῶδός ἐξαγορεύουσα. id est,  
*Vidimus sane, cum ea in vrbe essemus, locum*  
*quendam, vbi basilicam ingentem vno excava-*  
*tam e lapide conspeximus; rem sane maximam &*  
*omni admiratione dignissimam: quo loco oracula*  
*eam edidisse, qui res patrias a majoribus suis quasi*  
*per manus traditas acceperant, affirmabant. In*  
*basilicæ autem meditullio tria nobis ostenderunt*  
*in eodem excisa saxo folia; quibus aqua repletis*  
*lauisse eam dicebant: exinde stola sumpta in in-*  
*terius ejusdem basilicæ sacellum ibi ex eadem ma-*  
*teria recedere, atque in media ea æde super altio-*  
*re suggestu & throno considerare solitam, & sortes*  
*adeum modum promulgasse dixerunt. Singularis*  
 hic locus est de Sibyllæ specu: neque enim alibi  
 vsquam tam accuratam eius descriptionem re-  
 peries. In qua tamen illud primum occurrit  
 dubium, an ea quæ Justino monstrata est spe-  
 lunca ipsamet fuerit in qua Sibylla habitauit,  
 cuius & Maro facit mentionem in sexto Ænei-  
 dos. Etenim illa Justino memorata Cumis  
 Campaniæ, hoc est, in ipsa vrbe visebatur:  
 ἐθεασάμεσθε δὲ, inquit, ἐν τῇ πόλει γερόμενοι καὶ  
 ἴνα τόπον, *locum quendam cum in vrbe essemus*  
*contemplati sumus. Quam autem Virgilius de-*  
*scribit, ea non videtur in oppidō ipso fuisse,*  
*sed procul inter sacros Triuiæ lucos sita, vbi*  
*templum erat Apollini consecratum. Quem-*  
*admodum ex his versibus colligi potest:*



*At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo  
Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ,  
Antrum immane, petit,*

& paulo post :

*Jam subeunt Trivia lucos, atque aureatecta.*

Mox aurea illa tecta, hoc est, templum Apollinis describit, quod a Dædalo, postquam e custodia cum filio euasit, constructum fuisse dicit. Quibus verbis apparet, templum & oraculum istud fuisse positum inter nemora & lucos; non videtur autem simile vero eos lucos fuisse in opido. Merula quidem lib. 4. vbi Campaniæ loca describit, non putat Cumis fuisse Sibyllæ antrum, sed in via quæ Cumis ad Auernum lacum patet. *Ab Cumis (inquit) dein ad Auernum usque lacum nihil inuenitur scitu dignum, præter Sibyllæ (quæ ab Cumis, patria, Cumæa, omnibus decantata) cauernam, ut vocant.* Sed antiquior longe auctoritas Aristotelis, qui sæpius laudato in commentario de Admirandis, expresse Cumis fuisse subterraneum Sibyllæ Erythrææ, quæ & Cumæa dicta est, thalamum refert: ἐν τῇ Κύμη πρὸς τὴν Ἰταλίαν δειννταί τις, ὡς ἔοικε, Πύλαιος καὶ ἄγιος Σιβυλλῆς τῆς χρησμολόγῃς. Potior item Justin Martyris, qui idem confirmat indigenarum, quibus id a maioribus per manus traditum esset, testimonio. Quibus accedit Seruii auctoritas ad hæc verba: *arces quibus altus Apollo præsidet. Cum, inquit, vbiq; arx Joui detur, apud Cumas in arce Apollinis*



*nis templum est.* Quod autem ibi Sibyllæ antrum fuerit, hæc verba ostendunt infra:

*Teucros vocat alta in templa sacerdos,  
Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum:  
Quo lati ducunt aditus.*

& mox:

*Vnde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ.*

Quæ verba indicant, eo ipso in loco, puta monte vbi arx erat vrbs & templum Apollinis, fuisse antrum Sibyllæ in rupe excauatum, vt & Iustinus tradit. Neque obstat quod Poeta post hæc verba:

*At pius Æneas arces quibus altus Apollo  
Præsidet,*

addit: *horrendaque procul secreta Sibyllæ;* ceu longe ab arce situm Sibyllæ antrum esset: ibi enim *procul* non significat longe, sed prope, vt docte Servius ibi annotat his verbis: *Procul, haud longe. Procul enim est & quod præ oculis est, & quod porro ab oculis.* Vnde & *duplicem habet significationem, & iuxta, & longe.* Qui locus insignis de hujus aduerbii duplici vsu & origine. Nec vero mirum videri debet, Cumis lucum Triuiæ sacrum fuisse, quo loco templum erat Apollini dicatum & Sibyllæ specus, cum & Lauiinii, eodem Marone teste, summo vrbs loco, Pici, vetustissimi Italogum regis, domus filius ad religionis formidinem obscuris cincta esset. Qua de re sic in septimo memorat:



*Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,*

*Vrbe fuit summa, Laurentis regia Pici,*

*Horrendum silæis & religione parentum.*

Quorum lucorum Diis sacrorum in mediis vr-  
bibus alia exempla complura adiungi possunt.

Quod autem excisam in rupe ipsa speluncam  
tam vastam dicit, ne id quidem quisquam ad-  
modum mirari debet : cum in Sedunis ejusmo-  
di donros in rupe excavatas visi testetur Geor-  
gius Agricola in libro de animantibus subterra-  
neis ; quem locum adscribere operæ pretium est.  
*In Sedunis etiam in tractu Sittensi ad Bremisam  
pagum ex rupe excisa, sine vllis tignis & trabibus  
ligneis, formatum est integrum cœnobium, hoc est,  
templum, cubicula, conclaue, culina, cella vinaria.  
Similiter in altis montibus conspiciuntur arces sub-  
terraneæ : ut quæ in Alpibus Couolum nomina-  
tur, in quam nec equites nec pedites possunt a-  
scendere, sed cum homines, tum omnia ad viuen-  
dum necessaria ad ipsam attrabuntur : quæ in  
precipiti Sicilie rupe, non longe ab Eryce monte  
existit, cum Drepano promontorio coniuncta pon-  
ticulo, quo solo adiri potest : quæ in Saxonia in-  
ter Blancheburgum & Halberstadum est : quæ in  
Toringia inter Vimariam & Blanckenbainam  
prope Mellinum pagum, illius nomen est Reine-  
steinum vetus, huius Pufhardum : atque ea di-  
stat a Vimaria quatuor millibus passuum. Vtra-  
que ab habitatoribus nunc deserta est & vacua :*  
utraqve



utraque habet in saxo incisa hypocausta, conclavia, scamna, stabula, praesepia, ianuas, fenestras: Saxonica vero etiam templum, supra quod incolae extruxerunt speculam, quae sola subiecta fuit sub aspectum. Hæc eo loco Agricola, qui de arce alia apud Saxones addit, sub monte sita, Ipse (inquit) mons Saxonicus præceptus est ex omni parte, præter eam qua ascenditur: in cuius planitie excelsus collis clementer assurgit, qui qua parte planitiem spectat fossa satis alta & lata circumdatur. Ex huius collis saxo arenaceo, nonnihil rubro, exciso formata est arx illa, cui multæ & magnæ fenestræ. Quin in pede ipsius montis cellæ sunt subterraneæ cum equorum item stabulis. Tum ænigma e re natum, quod fertur in primis apud Saxones & Toringos, subiungit ejusmodi:

*Dic quibus in terris arx alto condita monte,*

*Mille vbi per tectum possunt errare bidentes.*

Addit, *Hoensteini etiam, quæ arx est Misene trans Albim, equorum stabula in saxo incisa esse.* Tum de cellis meretricum sub terra apud Græcos & Romanos; vnde vox *χαμαστύμη* & *χαμαστύπεια* & *ganeum* Latinis dictum ἀπὸ τῆς γῆς auctore Terentii interprete. Et hæc satis ad fidem faciendam iis, qui præ inexperientia dubitarent, potuisse in viuo saxo tam spatiosam excavari speluncam, siue, vt Justinus vocat, basilicam, quantam fuisse eam, in qua Sibylla Cumæa habitavit, idem Justinus testatur.



Quod autem verum sit hoc testimonium, recentiore & familiari confirmat Janus Vlitius, vir eruditissimus, in commentario ad Gratii Cynegeticon, cuius verba adscribere visum est: *Et Cumæ (supple Sibyllæ) illud sepulcrum esse, quod & in hypogeo ubi vaticinata fuerat monstratum sibi narrat Justinus in monitorio ad Gracos, ex eo apparet, quod Cumæ hypogeum, siue ut vocat Aristoteles Ἰδαίον κατάγειον, ab Aenea peti- tum constet. Idque etiam hodie aduenis demon- strare incolæ oculatus mihi testis est illustris Bos- vellius. Quod igitur Sibylla tali domo sub ter- ra habitaret, hinc factum est, ut idem Agricola dicto loco huius inter animantes subterraneas mentionem habendam putarit; ubi & de ejus spelunca haud vulgaris operis confirmat his verbis: Quin & in Tenedo insula piscatores ho- die rupium speluncis pro domibus vtuntur: ut quon- dam Sibylla Cumæa antro illo ad Auernum lacum, tam musuo opere insigni, quam vaticinationibus nobili.*

## CAPVT X.

*De mystico apud Homerum Nympha- rum antro. Item de Platonis spelunca: tum de specuum eiusmodi subter- raneorum causis.*

**A**C de Sibyllæ antro fati dictum arbitror: hæc autem disputatio, quam modo de eo antro



antro habui, admonet me vt de altero, quod Phorcyno in portu Ithacæ sub rupibus situm Nymphis sacrum iis quæ Naiades dicuntur, describit Homerus lib. 13. Odyssæ; tum de ea, quam philosophorum Homerus Plato initio septimi de Republica proponit, spelunca, quid mihi videatur data occasione attingam. Ac primum de illis Nymphis sacro : propterea quod Porphyrius mysteria non pauca sub ea descriptione latere censuit, quæ & libro singulari eruditissimo enarrare atque explicare tantus philosophus non dubitauit. Sunt autem Homeri versus huiusmodi :

Αὐτὰρ ὅππῃ κρατὸς λιμένος τανύφυλλος ἐλαίη·  
 Αγχόθῃ δ' αὐτῆς ἀντρῶν ἐπήρατον, ἠεργεῖδές,  
 Ἰρὸν νυμφάων αἱ Νηιάδες καλέουσαι.  
 Ἐν δὲ κρητῆρες τε καὶ ἀμφιφορῆες ἔασιν  
 Λαῖνοι· ἔνθα δ' ἔπειτα λιθαῖβάσσει μέλισσαι.  
 Ἐν δ' ἴσοι λίθοι περμιήκεες, ἔνθα τε νύμφαι,  
 Φάρε' ὑφαίνουσιν ἀλιπὸρφυρα, γᾶυμα ἰδέασθαι.  
 Ἐν δ' ὕδατ' αἰνάοντα, δύω δὲ τε οἱ θῦραι εἰσίν.  
 Αἱ μὲν πρὸς Ἰορέαο καλαῖαταὶ ἀνδρώποισιν,  
 Αἱ δ' αὖ πρὸς νόθῃ εἰσι θεώτεραι, εἰδέτι κείνη  
 Ἄνδρες ἐσέρχονται, ἀλλ' ἀθανάτων ὁδὸς ἐστίν.

Latine autem eruditus aliquis mihi non notus hunc Homeri locum sic reddidit, quam versionem in eorum gratiam qui Græce nesciunt apponere placet :



*Stat ramis diffusa in portus vertice oliua,  
 Quam propter peramœnum antrum obscu-  
 rumque recedit,  
 Sacra domus Nymphis, qua Naides indigi-  
 tantur.*

*Intus crateres, patuleque ex marmore viuo  
 Amphoræ; apes dulci qua ponunt mella fusurro.  
 Saxeæ sunt intus quoque stamina longa, ubi  
 Nymphæ*

*Purpureas texunt telas, mirabile visu.  
 Intus perpetui latices. Sed ianua duplex:  
 Hæc boream spectans homines admittit; at illa  
 Respiciens austrum diuinior, inuia prorsus  
 Est homini, præbetque viam immortalibus vnis.*

Nec abs re arbitror subnectere Maronis loca, in quibus respexisse ad Homeri picturam, ac etiam colores ex ea crasisse videri potest, quos in suum opus transferret: cum in primo magni Operis portum simul & antrum sub scopulis describit hunc in modum:

*Est in secessu longo locus: insula portum  
 Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto  
 Frangitur inque sinus scindit sese vnda reductos.  
 Hinc atque hinc vastæ rupes, geminique mi-  
 nantur*

*In cælum scopuli: quorum sub vertice late  
 Equora tuta silent: tum siluis scena coruscis  
 Desuper, horrentique atrum nemus imminet  
 umbra.*

*Fronte sub aduersa scopulis pendentibus antrum:*

*Intus*



*Intus aquæ dulces, viuoque sedilia saxo,  
Nympharum domus : hic fessas non vincula  
naues*

*Vlla tenent, vnco non alligat anchora morsu.*

Cujus loci priores versus ex his Græcis, quibus portum illum Homerus describit, expressos palam est :

Φόρκυνος ἢ τις ἴτι λιμὴν ἀλίοιο γέροντος  
Ἐν δῆμῳ Ἰθάκης. δύο ἢ προβλήτες ἐν αὐτῷ,  
Ἀκλαὶ ἀπορρώγες, λιμένος ποτιπεπηϊῆαι.

Αἱ τ' ἀνέμων σκεπώσι δυσσάων μέγα κύμα.  
id est, Phorcynis quidam est portus marini senis

*In agro Ithaca; duo autem projecti in ipso  
Scopuli prærupti in portum se expandunt:*

*Qui extra ventorum arcent grauius spirantium*

*Magnum fluctum.*

Reliqua autem de Nympharum textentium industria & textis purpureis idem Maro expressit in 4. Georgic. in fabula Aristæi :

*At mater sonitum thalamo sub fluminis alti  
Sensit : eam circum Milesia vellera Nymphæ  
Carpebant, hyali saturo fucata colore.*

Nonnihil tamen mutauit Maro : nam quæ Homerus ἀλπόροφρα dixit, ipse aliam rationem secutus, hyali saturo colore infecta & penitus infecta dixit. Quod istud epithetum magis Naiadum, quæ fontium & fluminum numina, rebus congruens & familiare videatur. Scaliger in Epinomide cap. 6. de Virgilio loquens : *Et*



*in quarto consummati operis hyalum pro vitri colore posuit, tanto iudicio & venustate, quanta fuit a Grammaticis ignorata.* Est autem hyali color subviridis, eodem teste in Exercitat. 315. Sect. II. *Sed animaduertendum (inquit) nos a vitro vitreum pro candido agnouisse: at Virgilius a Greco subviridem in lana intellexit:*

*Carpebant hyali saturo fucata colore.*

Quomodo & Scarmilionius lib. 2. de coloribus cap. 19. hunc locum interpretatur. Talis enim aquæ paulo altioris color, qualis vitri densioris.

Sed ad supra allatos Homeri versus reuertamur, quibus antrum illud Nympharum in portu Ithacæ studiose descripsit. Tametsi enim Chronius Platonius & eum secutus Porphyrius, vt supra attigi, negant ad literam posse accipi quæ de antro illo Homerus dicit, sed in sensu allegorico esse intelligenda; non tamen propterea ab eius loci consideratione temperandum censemus, ceu ad nos nihil pertineat, immo tanto impensius animum intendere decet, vt quid sub ea allegoria poetica lateat mysterii proponamus: certi, non minimam hanc rerum huius mundi aspectabilium & caducarum esse dignitatem, earum etiam quæ abiectiores censentur, qualia sunt antra illa & cavitates terræ, saxa & lapides, ita esse conditas, vt possint præbere imagines & symbola rerum altiorum & diuinarum iis, qui scalam illam Patriarchæ vbique terrarum positam hominibus, qua a terris in cælum

animo



animo ascendant, videre possunt. Alioqui (vt etiam in præfatione monui) non erat cur de Sibylla, de antris eius, & alijs ad eam pertinentibus dicerem, si nihil me ex talibus profundioris sapientiæ expiscari posse sperarem; aut certe mihi eorum mos sequendus esset, qui nihil ex veterum auctorum scriptis nisi vepres depectunt. Sed & negotiosos homines & superficialios librorum helluones moneo, hinc procul faceffant, & alibi stomacho suo aptiora quærant.

Quod igitur non ad literam descriptio illa antri apud Homerum accipi debeat, sed allegorice, hinc primum ostenditur: quia Geographi & *Ἐπιγινώσκων* Scriptores nullam eius spelunçæ in portu Ithacæ mentionem faciunt. Putare autem, Homerum artificem tantum, nulla alia causa sed sola fingendi libidine impulsus, finxisse antrum quod nusquam esset, fidem omnem & probabilitatem excedit, quod ne in mediocres quidem poetas scilicet cadit. Quis porro citra allegoriam fingere audeat, antrum alicubi esse, duos habens exitus, vnum quo homines omnes ingrediantur, alterum quo dii, & quicquam eiusmodi a natura esse factum: cum vniuersum terrarum orbem mundumque omnem commune hominum & deorum domicilium esse constet? Alia addit Porphyrius, iis qui literæ in hærent non minus difficilia, ne dicam inexplicabilia. Quorsum portæ istæ antri geminæ; vna hominum, altera deorum? cur non quæ  
homi-



hominibus ad boream, quæ diis ad austrum conuersa est? cur non simpliciter Nympharum, sed earum quæ Naiades dicuntur? quomodo idem antrum ἐπιήρατον καὶ ἠεροειδές, hoc est, *amabile & obscurum* tenebrosumque dicatur; cum tenebræ naturaliter formidinem potius quam cupiditatem aut voluptatem inferant? præterea quid sibi volunt in antro crateres & amphoræ lapideæ: in quibus non quicquam liquorum, quæ talibus in vasis reponi solent, sed apum faui ibi operantium continentur? quid textoria instrumenta ex lapide item appa-  
 rata & confecta, non autem ex ligno? quid vestes illæ & telæ quas Nymphæ in tenebris ordiuntur, & nihilominus ita aspectabiles vt cernentibus admirationem moueant? quid postremo olea, vna omnium arborum in portus fronte feraces explicans ramos? In quo etiam magnus Scaliger acumen criticum exercere non dubitauit lib. 5. Poetices: *Quid enim* (inquit) *sola oliua? quam etiam falso τενύφυλλον vocauit? folia namque gerit breuia, tametsi non rotunda.* Immemor eius quam alibi de Homero & Herodoto protulit sententiæ multo prudentioris: quos viros in commentario in librum Hippocratis non modo vtriusque orationis, hoc est solutæ & numeris adstrictæ, principes statuit, sed etiam sapientes. *Nam & Homerum* (inquit) *nunquam putassem summum & physicum, & vt eum esse poterat, theotogum, nisi tam stulte de*  
 Diis



*Diis locutus esset. Neque enim tam vecors, tamque futilis esse potuit, ut ea sic intelligeret; sed ad siderum potestates atque officia geniorum omnia voluit referri.*

Hæc cum de Homero sentiret, qua mentis vertigine postea in eundem tam petulanter debacchetur in libris Poeticis, satis equidem mirari non possum. Cur enim, si Homerum in eo commentario agnoscit sapientem fuisse, neque ad literam quæ de diis dicit esse accipienda, non item in illis Poeticis libris ea loca, in quibus Homerum vecordiæ accusat, altius scrutatur, ut quid sapientiæ sub verborum facie lateat, intelligat? cum præsertim tam multa Plato & Aristoteles passim de Homeri diuinitate & allegoriis scripta reliquerint; tam multa Proclus in commentario ad Platonis Timæum & libros de republica: tum porro & Porphyrius (quem philosophorum doctissimum beatus Augustinus vocat) in hoc aureo libello de Nympharum antro. Magna igitur Scaligeri importunitas, dum tam frigide & futiliter Homero in ea antri descriptione in portu Ithacensi insultat: quem non modo in oleæ arboris descriptione malo epitheto usum arguit, sed etiam egisse Grammaticum, quod non contentus Nymphas dixisse, addiderit: *αἱ νηιάδες καλέουσαι*: ceu mera hæc sit glossa parum ad rem pertinens. Quin etiam Homerum castigat, quod non potius *Nereides* has Nymphas dixerit. Quæ & alia eius descri-

P

ptionis



ptionis scientissime in hunc modum ab Homero esse composita ostendit Porphyrius ; quem proinde nunc, expulso Scaligero & aliis prisca sapientia osoribus, audire diuina Homeri in eo antro sensa interpretantem operæ pretium est. Attingam autem singula breuiter, vt par est ad alia instituti properantem.

Primum igitur ad antra quod attinet, hæc typum & symbolum fuisse mundi apud priscos sapientes docet Porphyrius, siue mundum in se totum spectemus, siue etiam partes ex quibus constat : ex materia enim vna communi omnium rerum naturalium & variis formis consistit mundus. Huius itaque omnium postrema mundi partis, materia inquam, symbolum terram esse voluerunt, & ita accipiebant in consecratione antrorum ; quorum analogiam ad materiam primam & similitudinem præclare ibi declarat Porphyrius, quem studiosi adeant, neque enim quæ ibi affert omnia huc transferre placet. Antrorum etiam obscuritas non male ad materiam se accommodat ; sed & rerum potestates in profundo, hoc est, in essentia sitas notat. Antrum igitur, quod est mundus, *ἡεγοειδὲς* propter materiam, idemque *ἐπὶ ἡεγοτον* *jucundum & amabile* ob formæ decorem & ornatum, vnde nomen mundo est inditum. Haud aliter & Plato in 7. de Republ. speluncam facit imaginem mundi, vt etiam in argumento notat Ficinus : *Tu vero, vbi Plato in erudiendo civili*  
*philo-*



philosopho imaginem proponit speluncae, & vincu-  
lorum, & luminis cuiusdam umbrarumque, &  
aquæ; speluncam intellige hunc quem videmus  
mundum, si ad mundum inuisibilem comparetur:  
vinculum vero corpus humanum, siue potius per-  
turbationem animum corpori alligantem: umbras  
autem res omnes que sensus movent.

Sed & ὕδατα ἀενάοντα, aquarum perennis ille  
fluxus in antris, materiæ instabilis & pronæ ad o-  
mnem motum symbolum esse nemo non videt.  
Hinc & Naiadum seu Naidum appellatio ἀπὸ τῶν  
ναμάτων. Est autem νᾶμα non aqua simpliciter,  
sed quæ in motu est & aliunde manat, fluen-  
tum, fons. Quo significatur seminis genita-  
lis ad hominum procreationem commotio &  
fluxus, quemadmodum Nympharum Naiadum  
nomine vult intelligi animas omnes in gene-  
rationem prolabentes. Sic aquæ in reconditis  
Hebræorum literis pro humore illo humani ge-  
neris instauratore. Esaias cap. 48. *Audite hac  
domus Jacob qui vocamini nomine Israel, & de  
aquis Juda existis.* De aquis Juda, hoc est, flu-  
uiis: quo id quod dictum est intelligi debet.  
Et sane Plato in Timæo flumen appellat eam col-  
luuiem in quam anima viam generationis ini-  
ens incidit: αἱ ἡ ψυχὰς εἰς ποταμὸν ἐνδεθεῖ-  
σαι πολὺν, ἕτε ἐκράτουν &c. Nymphæ igitur  
quæ Naiades vocantur, animæ sunt propriis  
fluentis præsidentes, vt Numenius exposuit te-  
ste Porphyrio: Νύμφας ἡ ναΐδας λέγουμεν καὶ  
τὰς



Τὰς τῶν ὑδάτων παρεξώσας δυνάμεις ἰδίως. ἔλεγον δὲ καὶ τὰς εἰς γένεσιν κατισσας ψυχὰς κοινῶς ἀπάσας. ἠγᾶντο δὲ προσζάνειν τὰ ὕδατα τὰς ψυχὰς θεοπνύω ὄντι ὡς Φησιν ὁ Νικητήριος. Eoque etiam verba Mosis trahit Porphyrius: *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Quod ab Ægyptiorum theologia sumptum ostendit.

Sed & Naiadum & potentia aquis præsentis propria symbola crateres lapidei & amphoræ in eodem antro repositæ. Quæ tamen vasa non aquam aut liquorem alium quemlibet, sed apes & mel continere dicuntur. Et merito vasa illa lapidea finguntur, quod aquæ in antris e saxis scaturiant; apes autem in iis operantes animas ipsas generationi incumbentes exponit Porphyrius: *πηγαὶ δὲ καὶ νάματα οἰκεία τῆς ὑδρασι νόμφαις, καὶ ἔτι δὲ μᾶλλον νόμφαις τῶν ψυχῶν ἅς ἰδίως μελίσας οἱ παλαιοὶ ἐκάλεον.* id est, *Fontes vero Et fluentia aquis presidentium Nympharum propria sunt: adhucque magis animarum quæ Nymphæ dicuntur, quas veteres apum nomine indigitabant.* Mel autem, apum opus, quid aliud quam voluptatis symbolum ex amore, quem & Poetæ *γλυκύπικρον* vocant, & quodam œstro seu punctura occulta humoris, quæ titillatio dicitur. Proinde mox *ἰσθὺς λιθίνης* stamina lapidea subdit Homerus, & *Φάρε' ἀλιπόροφουρα* purpurea texta, quo σαρκοποιῖαν ænigmatically adumbrari censet Porphyrius, propter sanguinem ex quo generantur carnes, quæ

circa



circa ossa lapidea adnascuntur, vt ipsa operiant. Omnium enim quæ in corpore nostro continentur, nihil tam ad lapidis naturam accedit quam ossa. Genus profecto texturæ est quod natura in rebus procreandis exercet; quemadmodum Orpheus ipse agnouit, qui Proserpinam omnium quæ in hoc mundo sensibili feruntur (Dea præses ponitur) texentem inducit, pepulum scilicet, quo nomine cæli compagem & ornatum præsci vocabant, quod eo cælestes dii ceu vestimento tegantur. Et de his hæctenus.

Nunc de duabus antri portis, & olea in vertice portus conspicua. Earum portarum vna ad boream conuersa est, altera ad austrum: per illam homines ingredi in antrum, per hanc homines non admitti, sed deos, quibus solis pateat, Homerus expresse dicit. Quo vel vno intelligi potest, merum esse anigma quicquid de hoc antro Nympharum dicitur, non simplicem loci descriptionem. Quis enim in animum inducat, vsquam fuisse antrum natura aut arte positum, quo homines omnes debeant ingredi, quo item dii; ideoque his & illis aditus ianuasque seorsim in illo antro aperas? Multa igitur Porphyrius ad secretam earum portarum intelligentiam nobis insinuandam doctissime disserit, quæ sigillatim omnia referre longum esset; satis erit summatim ostendere, quorsum illa pertineant. Summa disputationis, mundum vniuersum naturæ in duas diuisum



esse regiones: vnam meliorem, & diuinis magis accommodatam, alteram sequiorem caducisque & humanis familiarem & dicatam: priorem illam esse versus austrum & meridiem, posteriorem boream versus. Quod autem melior sit pars quæ ad austrum vergit, multis ostendi potest. Primum quidem caloris natura, qui ibi dominatur, cum in opposita regione vigeat frigus; quod autem caliditas frigore sit potior manifestum est: omnis quippe fecunditas, vis, perfectio in naturæ operibus, caloris beneficium est; sterilitas, torpor, inertia, a frigore proficiscitur: vnde *iners & sceleratum* frigus poetarum doctissimis dicitur. Sed & lumen in austrinis mundi partibus magis omnia collustrat, quo nihil in natura præstantius aut diuinus; in borealibus vt minus caloris, sic & luminis minus, quod magis remotæ sunt a cursu solis: nebulae autem & caligo & tenebræ ceu propria in sede regnant.

Idem discrimen videre est in hominum ingenis, quæ, vt Aristoteles docet in problematis, versus austrum acutiora sunt & prudentiæ capaciora; versus boream obtusa magis &, vt ita dicam, nebulosa. Cæterum (quod hic in primis notandum est) quanto his minus mentis & prudentiæ, tanto corpora & ampliora & robustiora, magis item fecunda esse constat: cum versus meridiem degentibus illorum comparatione parua corpora & infirma imbecilliaque sint:

mens



mens autem ad proportionem agilis & rerum magnarum capacior existat. Quam diuersitatem adeo insignem regionum terræ considerantes prisce illi sapientes, in tropico cancri, & signo illo in quo maximæ solis versus boream declinationis meta est, animarum e cælo descensum posuerunt; in capricorno, maximæ item versus austrum declinationis meta, earumdem animarum regressum & ascensum ad deorum sedem & meliorem vitam. Quibus in signis Plato, ad antrum Homericum respiciens, duas, qua animæ vltro citroque commeent, portas constituit. Porphyrius: δύο ἔν ταύτας ἔθεντο πύλας καρκίνον καὶ αἰγόκερων οἱ θεόλογοι. Πλάτων δὲ δύο ἰσομια ἔφη. τέτων ἢ καρκίνον μὲν εἶναι δι' ἧ κατιᾶσιν αἱ ψυχαὶ αἰγόκερων ἢ δι' ἧ ἀνιᾶσιν. Sic autem hanc doctrinā Macrobius a Platonicis, quos studiose legerat, acceptam latine expressit in somnio Scipionis lib. I. c. 12: *Zodiacum ita lacteus circulus oblique circumflexionis occursum ambiendo complectitur, ut eum, qua duo tropica signa capricornus & cancer feruntur, intersectet. Has solis portas physici vocauerunt, quia in utraque obuiante solstitio ulterius solis inhibitor accessio, & fit ei regressus ad zonæ viam cuius terminos nunquam relinquit. Per has portas anime de cælo in terras meare, & de terris in cælum remeare creduntur. Ideo hominum vna, altera deorum vocatur. Hominum cancer, quia per hunc in inferiora descensus est; capricornus*



deorum, quia per illum animæ in propria immortalitatis sedem & in deorum numerum reuertuntur. Et hoc est quod Homeri diuina prudentia in antri Itbacensis descriptione significat.

Sed animaduertendum est, ex Porphyrio non recte portam deorum dici eam quæ ad austrum est, vt Macrobius loquitur; non enim dii per eam vadunt, neque hæc eorum via, sed animarum in patriam cælestem redeuntium. Proinde Homerus non Ἰθάκην, sed simpliciter ἀθανάτων, hoc est, immortalium, nempe animarum, iter esse dixit. Hæc igitur mystica earum portarum expositio est, secundum Platonicos: cui, quod ad boreæ & austri denominationem & significationem attinet, firmamentum ab ipsius diuinæ sapientiæ sacris oraculis accedit, quibus austrum semper in bonam accipi partem constat, aquilonem in malam. Quo sensu vsurpat Ecclesiastes cap. ii. *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Ad quæ verba Hieronymus: *Quantum ego existimo, (inquit) semper in bonam partem accipitur auster.* Sequitur hanc regulam Augustinus, & in commentario ad Psalmum 125. ad hunc versum: *conuerte Domine captiuitatem nostram sicut torrens in austro;* austrum exponit Spiritum sanctum. *Gelaueramus (inquit) in captiuitate, constringebant nos peccata nostra: flauit auster Spiritus Sanctus, dimissa sunt nobis peccata, soluti sumus a frigore iniquitatis: tanquam*



tanquam glacies in sereno, sic soluantur peccata nostra. Si aufer in bonam partem accipitur, igitur aquilo in malam. Hinc illud in iisdem sacris codicibus: *ab aquilone pandetur omne malum*, item: *ab aquilone exardescunt mala super terram*. Et princeps cacodæmonum apud Esaiam dicit: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis*. Ex his igitur patet, quanta sapientiæ profunditate Homerus australem antri Nympharum portam immortalibus assignet, borealem hominibus. Restat igitur vt de olea antri summitatem occupante dicamus.

Proposui supra in ea arbore censuram Scaligeri. Primum quidem cur olea potius ibi quam alia arbor: deinde quod oleam *τανύφυλλον* vocet, quæ folia breuia habeat, tametsi non rotunda: his adde hoc ex Porphyrio, cur *ἄπι κράτος λιμένος* in vertice portus hanc sitam dicat. Hæc temere in hunc modum ab Homero esse composita non est putandum. Quid igitur? Oleam Mineruæ sacram fuisse vel ex poetis notum est. Minerva autem sapiens supra omnes deas, vel potius ipsamet sapientia dei, vnde e capite Iouis sine matre genitam fabulantur. Hoc sciens poetarum diuinissimus, vt Plato eum passim appellat, oleam in portus vertice ponit, symbolum sapientiæ, qua Deus vniuersum mundum condidit. Porphyrius: *κρατογενῆς δ' ἔσης τῆς θεῆς οἰκῆιον τόπον ὁ θεόλογος ἐξεῦρεν, ἄπι κράτος τῆς λιμένος αὐτὴν κα-*



Περὶ σῶσας σημαίνων δι' αὐτῆς, ὡς ἐκ ἐξ αὐτο-  
 μαλισμῶ τὸ ὅλον τῆστο καὶ τύχης ἀλόγῳ ἔργου  
 γέγονεν. id est, *Familiarem vero a capite genitæ  
 deæ locum inuenit theologus, in portus vertice hanc  
 dedicans; quo significat, non esse hanc rerum uni-  
 uersitatem casus aut fortune opus, sed nature in-  
 telligentis specimen & monumentum.* His vane-  
 scunt scrupuli omnes, apparetque consilium  
 Homeri in ea arbore eligenda, tum quare τα-  
 νύφυλλον vocet. Quomodo enim non foliis  
 extensis ea arbor, quæ sapientiæ symbolum po-  
 natur? Sapientiæ inquam, qua nihil latius  
 patet: omnia enim comprehendit sapientia;  
 atque, vt in libro Sapientiæ dicitur, attingit  
 a fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia  
 suauiter.

Sed & propudiosa quorundam interpreta-  
 menta exploduntur, qui ista imagine antri Nym-  
 pharum vterum & pudendum muliebri ænigma-  
 tice ab Homero designatum censent: quibus cum  
 opponitur duarum eius antri portarum descri-  
 ptio, eo amentia & furoris procedunt, vt ad  
 aduersæ & auersæ seu posticæ veneris flagitiosa  
 diuortia confugere non erubescant. Adeo im-  
 pudentes, vt non vereantur poetarum omni-  
 um principem, literarum parentem, ingenio-  
 rum fontem, ad hæc transferre nefanda. Nem-  
 pe hoc illis ad extremam vecordiam restabat,  
 vt qui rationi humanæ & scientiis bellum in-  
 dixissent, literas quoque omnes, infamato  
 carum



earum principe, quantum in ipsis esset, perderent.

## CAPVT XI.

*Sibylle de seipsa iudicium: an aliquid inter hominem & demonem medium.*

Quoniam hanc nobis in hisce disceptationibus legem imposuimus, vt nihil quod vsquam apud veteres de Sibylla extet, a nobis alienum putemus, aut inexcussum praterire sinamus; huic obsequemur, & quæ ipsa de naturæ suæ conditione siue gradu versibus prodidit, considerandum censemus. Extant hi versus apud Pausaniam in Phocicis, supra a nobis prolati, cum de patria eius ageremus, quam solam tunc in his quærebat; nunc autem denuo reuocandi in conspectum, ex quibus qualis natura Sibyllæ fuerit, ipsius iudicio contemplerur.

Ἐγὼ δ' ἐγὼ γαίῃα μέσον θνητῶν τε θεῶν τε,  
 Νύμφης δ' ἀθανάτης, πατρὸς δ' αὐτοφά-  
 γου,

Μητρογενεὶς Ἰδογενὴς &c.

*Ego vero ea sum conditione genita, vt in medio consistam naturæ mortalis & diuinæ: matre quidem Nympha immortalis edita, patre autem setiuoro &c.*

Ita



Ita patris Sibyllæ epithetum legunt omnes, & *cetiuiorum* interpretantur. Quod non plane absurdum. Verumtamen cum ibi de media inter deum siue dæmonem Sibyllæ natura agatur, non video quid ad eam pertineat victus e cetaceo aquatilium genere potius, quam ex aliis humanis alimentis mentio: nisi forte patris sui obscuritatem indicare voluit, qui solis falsamentis plebeculæ more victitaret; quod, vt dixi, nihil ad rem facit. Quamobrem venit in mentem suspicio, fortasse non rectam esse lectionem in eo epitheto, neque patrem suum Sibyllam *κητοφαγον* appellasse in iis versibus, sed *σιτοφάγον*, vt mortalem fuisse ostenderet; nempe fruge triticoue vescentem: quo genere cibi Homerus *Iliad. E.* homines ab immortalibus separat:

ῥέει δ' ἀμβροτον αἶμα θεῶν,

Ἰχῶρ, οἷος πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεῶσι.

Οὐ γὰρ σίτον ἔδουσ', ἔπινουσ' αἰθιοπαοῖνον.

Τὸνεκ' ἀνάμονές εἰσι καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

*fluebat autem immortalis deæ sanguis,*

*Cruor, qualis scilicet fluit beatis diis.*

*Non enim edunt triticum, neque rubrum vinum bibunt;*

*Ideo sanguine carent & immortales vocantur.*

Sed hæc suspicio est & conjectura. Non porro omittendum, a Proclo hanc ipsam Sibyllæ de seipsa vaticinationem referri in commentario 5. ad Timæum Platonis; verum aliter primum *versum* concipi, sic nempe:



Εἰμι δ' ἐγὼ μέσση τε θεῶν, μέσση τ' ἀνθρώπων.

*Sum vero media deorum & hominum.*

Quæ mutatio in verbis tantum : fortasse quia verborum oblitus, satis putavit si sensum, quibus posset, verbis redderet : fortasse & Sibylla idem vaticinium vario verborum contextu edidit : vtrumque enim verisimile.

Patet igitur ex his verbis, putasse Sibyllam, se non purum esse hominem, sed aliquid medium inter homines & deos quam dæmonum esse naturam Platonici censuerunt. Ergo in numero dæmonum Sibylla. Atqui dæmones non moriuntur, mortua est Sibylla : non eadem proinde huius quæ dæmonum natura. Ecce in disputationem de dæmonibus incidimus, verbis Sibyllæ inducti, vt expendamus, possitne Sibylla iis associari salvis philosophorum principis. Dæmonum quidem naturam in medi-tullio diuinæ & humanæ esse constitutam, auctor est Plato in Symposio : πᾶν τὸ δαιμόνιον (inquit) μὲξὺ θεῶν τε καὶ θνητῶν. Munus autem τὸ ἐρμηνεύειν, καὶ διαπορεύμεναι θεοῖς (ἃ παρ' ἀνθρώπων, καὶ ἀνθρώποις τὰ ὀρθὰ θεῶν. id est, interpretum & portitorum officio fungi, hominum apud deos, deorum apud homines. In Apologia autem Socratis dæmones nothi deorum filii esse dicuntur, vel ex Nymphis prognati. δαίμονες θεῶν παῖδες εἰσι νόθοι λῆες, ἢ ἐκ Νυμφῶν. Ex his igitur nihil absurdi sit, in

dæmo-



dæmonum numero fuisse Sibyllam; quæ se, vt vidimus, mediam inter deos & homines iactaret, quæ item deorum nuntio & interprete apud homines fungeretur, & vice versa hominum apud deos: quando mediæ illius naturæ proprium munus esse constat. Si autem, quod alibi Plato de eadem dæmonum natura prædicat, spectemus, longe ab eo aberit Sibylla vt dæmonum coetui adscribi mereatur; multoque magis si de his theologos nostros audiamus.

Platonis quidem sententia est in Epinomide, quem Platonici sequuntur, dæmones anima intelligente & corpore constare, vt homines & astra; verum & animam eorum nobiliorem esse humana multoque diuiniorem, vtpote diis propiorem: corpus autem eiusmodi, vt spirituale & incorporeum nostro comparatum dici possit. Quippe quod non ex quatuor elementorum nexu sit concretum, neque ita crassum & terrestre, sed simplex ex vno singulari elemento: vnde illa diuisio dæmonum in Epinomide in ætherios, æreos, aqueos. Quibus plures etiam agnoscit Psellus in dialogo *περὶ ἐνεργείας δαιμόνων*, totidem scilicet eorum genera quot sunt mundi elementa. Itaque his quos Plato expressit, terrestres adiungit & subterraneos, quos *μισοφαιῆς*, hoc est, *lucifugas* vocat. Quale genus corporum, si datur, quantum ab humanis & aliorum animalium differre debeat, nemo non videt. Cæterum Sibyllam non dissimilem nostri

corporis



corporis naturam habuisse certum est: quippe quæ more aliorum hominum in ortum processerit, transacto item vitæ tempore communis animalibus necessitati cesserit, ut post videbimus. Quo vel vno Sibyllam a toto dæmonum ordine esse remotam liquet: non enim dæmones in philosophorum sententia nascendi aut denascendi vices agnoscunt, licet non sint omnino immutabiles: animo namque varios affectus suscipiunt amoris, odii, lætitiæ, ægritudinis, atque etiam iracundiæ, omnem denique, ut Platonicus Apuleius ait in lib. de Deo Socratis, humani animi faciem patiuntur. Quo eos a diis distingui censet. Non ergo in dæmonum numero fuisse Sibyllam ex his constare potest.

Sed fortasse versus illi, quibus se mediam inter deos & homines dicit, non ita accipiendi, ut deorum nomen significet genus distinctum a dæmonibus; naturam videlicet ab omni corporea concretionem remotam; sed prout latius sumitur, & ad dæmones extenditur, quos etiam deorum nomine interdum vocari constat, quemadmodum deos vice versa sæpe ab Homero dæmones dici certum est. Quem nominis illius usum si ibi secutam concedamus Sibyllam, tunc non inter deos & homines, (quod dæmonum est) sed inter dæmones ipsos proprie dictos & homines hanc se mediam voluisse dicemus. Ex quo quæstio quidem non injucunda exoritur de specie humana, num ita sit individua, ut nullam naturæ sub hominis nomine diuisionem admit-



admittat. Quidni enim altiores in specie humana latere differentias credamus siue ad virtutem & præstantiam, siue ad vilitatem & ignominiam? Immanis quidem ingeniorum & morum distantia quemuis non præoccupatum, si non ad credendum, certe ad dubitandum compellat. Verum huic disputationi alium locum destinauimus: hic ne absurda nimis in versu allato Sibyllæ gloriatio videatur, quo se ancipitis inter deos, hoc est dæmones, naturæ esse prædicat; reconditam naturæ rationalis diuisionem, inter Pythagoricæ sectæ arcana habitam, & ab Jamblichō memoratam in libris de vita Pythagoræ, proponam ipsius verbis: ἰσορεῖ δὲ καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τοῖς περὶ Πυθαγορικῆς Φιλοσοφίας, Δείξεσθαι τινα τοιάνδε ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ἐν τοῖς πάντοι ἀπρόρητοις Διαφυλάττεσθαι τὴ λογικῆ ζωῆ τὸ μὲν εἶναι θεός, τὸ δὲ ἀνθρώπος, τὸ δὲ οἶον Πυθαγόρας. id est, *Proditum ab Aristotele est in libris de philosophia Pythagoræ, quendam huiusmodi diuisionem apud viros ejus sectæ in arcanis conseruari: animal rationis particeps partim est Deus. partim homo, partim qualis Pythagoras.* Quibus verbis aperte tres rationalis gradus ostenduntur: primus in quo Deus, alter qui hominum est, tertius nomine carens, ideo paraphrasi expressus, dum is esse dicitur in quo fuit Pythagoras. Quo declaratur mediæ inter diuinum genus & humanum naturæ fuisse, diis quidem dæmonibusque inferior, homine autem

maior



maior, non hic tantum sed & alii ingenio & virtute eminentes viri; quæ & Sulpitii Galli apud Romanos, Thaletis & Hipparchi apud Græcos, iudice Plinio, præstantia fuit: de quibus sic naturæ ille scriba lib. 2. cap. 12. *Viri ingentes supraque mortalium naturam, tantorum numinum lege deprehensa &c.* & paucis interiectis: *Maçti ingenio este cali interpretes, rerumque naturæ capaces, argumenti repertores quo deos hominesque vicistis.* Rursus libri eiusdem capite 79. de iisdem naturæ interpretibus: *Quantum a Deo tandem videri possunt tales distare, dum viuant?* Quo significat, potuisse tales viros putari deos si mortui non fuissent: quia vero mortui sint, hoc solo cognosci non fuisse deos; sed si non dii, non continuo homines, sed mediæ conditionis inter homines & deos.

Atque hæc hunc in modum Sibyllæ gratia attigisse sufficiat, potius vt quæstionis gustum quendam offeram, quam quod tam paucis difficultatem explicari posse putem. Multa enim vltro citroque dicenda essent, sed quæ aliud tempus postulant. Non tamen illa silentio prætereunda, quibus eadem vates se se ipsa consolatur de hac moriendi necessitate, qua sola diis concedere cogatur. Extant hæc apud Plutarchum in libro toties laudato de Pythiæ oraculis; qui vtinam versus ipsos nobis conseruasset, aut si eos adscripserat, non hac parte codicem vetustas arrosisset. Sed tamen ex iis, quæ ibi Plutarchus



tarchus Serapionem quendam ex eo carmine recitantem inducit, quo ingenio fuerit Sibylla cognosci potest: ὁ μὲν Σεραπίων ἐμνήθη τῶν ἐπῶν, ἐν οἷς ὑμνησεν ἑαυτὴν, ὡς εἰδὲ δῶποθανῶσα λήξει μανικῆς· ἀλλ' αὐτὴ μὲν ἐν τῇ σελήνῃ ὠθεῖται τὸ καλόμενον Φαινόμενον γενομένη πρὸς ὄψον τῶ δὲ αἴερος τὸ πνεῦμα συγκρατὲν, ἐν Φήμαις αἰεὶ Φορήσειαι καὶ κληδόνων. Ἐκ δὲ τῆς ὁμάδος μεταβοσκήσαλοντος ἐν τῇ γῆ πῶας καὶ ὕλης ἀναφυομένης, βοσκήσειαι ταύτην ἱερὰ θρέμματα, χροῶς τε παντοδαπάς ἰχθυῶν καὶ μορφῶν καὶ ποιότητος ὅππῃ τῶν σπλάγχχνων, ἀφ' ὧν αἰ περιδηλώσεις ἀνθρώποις τῆ μέλλοντος. id est, Serapio hic quidem meminit versuum, quibus seipsa celebrat, tanquam vaticinandi munus ne morte quidem sit depositura: sed ipsa quidem superstes futura fit in lunari globo, in eamque facies dicitur conuertenda; spiritus autem aeri contemperatus vna cum diuinis vocibus & omnibus quoquo versum diffundi debeat. Ex corpore autem suo in terra resoluta herba sit pullulatura, quam sacra pecora pascantur, vnde colores eorum visceribus omnifarii, tum alia qualitates inducantur, quarum inspectu homines periti eorumque futura sunt coniecturam capiant.

Hæc, inquam, aperte declarant quo ingenio fuerit Sibylla, quantos in pectore spiritus gesserit, quantum de diuinandi facultate sibi insita gloriaretur, quam ne morte quidem sua extinctum iri, sed in aere regnaturam semper ac satisfecturam ad voces diuinas & omina hominum

auribus



auribus immittenda jactaret: sensuram quoq; hanc vim terram, nouaque pabula e corpore suo resoluta parituram, quibus pecudes refectæ opportuna habeant exta diuinationi, clarioraque rerum futurarum signa ostendant. Quæ si poetica leuitate non sunt effutita, immanem arguunt fastum & plane tartareum mulierculæ istius, haud dubie a damone animum eius obsidente & tales ei cogitationes immittente profectum: quod adhuc apertius infra ex oraculis eius patebit. Quod autem sic transmittendam suo excessu e vita vim illam fatidicam, qua viuens prædita esset, in elementa vaticinatur, sumptum videtur ex iis quæ de spiritus prophetici translatione & successione memorantur in sacris Ebræorum literis: quæ cum demon facta sciret diuinitus in sanctis vatibus, ipse in Sibylla suo modo exprimere voluit, vel certe persuadere populis, talem fore successionem fatidici spiritus Sibyllæ, qualem fuisse quorundam prophetarum sanctorum in alios meminisset. Vt de Mose scriptum Deuteronomii capite vltimo sub finem vbi de morte Mosis: *Josue vero filius Nun repletus est spiritu sapientia, quia Moses posuit super eum manus suas.* Et in quarto Regnorum cap. 2. spiritus Eliæ, dum e terris turbine igneo rapitur in cælum, transit in Eliseum, qui statim vates primarius efficitur, & agnoscitur ab aliis prophetis qui eum adorant. *Videntes autem filii prophetarum qui erant in Jericho, dixerunt: requie-*



*enit spiritus Eli super Eliseum; & venientes in occursum eius adorauerunt eum promi in terram.*

Illud tanto fallacius Sibylla quanto arrogantius, quod velut diuinationis vniuersitatem in se collectam contractamque in ortu accepisset, hanc in mundi elementa morte sua redituram, in lunam, in aerem, in terram, edicit. Et sane summam fuisse Ethnicorum vatem Sibyllam vniuersalem mundanam infra certius patebit.

## CAPVT XII.

*De altera Sibylla vita in luna globo.  
Veterum theologorum de luna  
& anima natura.*

**N**ON est porro omittendum, quod loco Plutarchi modo laudato eandem Sibyllam vaticinantem vidimus de sua in lunæ globum post obitum commigratione, ita quidem, vt quam vulgo in eo sidere *faciem* vocant, ipsa efficiatur. Quod sane ad literam acceptum nihil ab anilibus deliramentis infusas fabulas pueris insufurrantium ad eos consopiosos differre videtur. Scilicet antequam Sibylla rebus humanis vale diceret, non apparebat eiusmodi facies in luna? Qui hoc credit, non video cur non pariter credat, non fuisse lusciniam & hirundinem ante Pandionis Atticæ regis ætatem: in quas aues regis eius filias Procnen & Philomelam

trans-



transformatas poetæ consensu celebrant. Concoquenda igitur hæc sunt, & ad succum saporemque veri sensus, quo animus alatur, meditationis calore redigenda. Vt autem intelligatur, quo hæc de Sibyllæ post mortem statu fabulose prodita spectent, nonnihil breuiter pro instituto de lunæ natura dicendum est; aliter non poterit quæ ab ipsa ducta est allegoria intelligi.

Cum multæ sint lunæ proprietates ab astronomis notatæ, vnâ modo attingam omnibus notissimam & nihilominus proponendam de officio eius illuminandæ noctis. Quem enim vsus sol terris præbet interdiu, eundem luna noctu largitur mortalibus lucendo; qua de causâ Aristoteles l. 4. de gener. animal. hanc minorem velut solem esse dicit: hanc etiam ἀνθήλιον dixerunt Græci, teste Hesychio, qui ἀνθήλιον exponit τὴν σελήνην, quod nomen *vicariam solis* significat. Philo Judæus ὑπερέτην καὶ ἀέδοχον ἡλίου, *ministram solis & absentis vicariam*. Plinius lib. 2. cap. 9. *sidus in tenebrarum remedium a natura repertum*. Eadem *nouissimum* est *sidus terrisque familiarissimum*, vt Plinius eodem loco dicit; quod & omnes consensu confirmant. Vnde limes & confinium eadem censetur, quo dirimuntur cælestia a caducis, tum etiam vtraque mundi natura committitur. *A luna enim deorsum* (inquit Macrobius lib. 1. cap. 11. in somnium Scipionis) *natura incipit caducorum &c.*



Supra autem omnia interitus expertia, Tullio ipso teste in eo somnio. *In infimo orbe* (inquit) *luna radiis solis accensa conuertitur: infra autem iam nihil est nisi mortale & caducum, præter animos generi hominum munere deorum datos: supra lunam sunt æterna omnia.* Tum lunæ, vt mediam par est, anceps conditio, & ad vtrumque naturæ ambiguo trahi se patitur genus, pro ut ad alterutram comparatur regionem. Nam terrenis comparata sidus est; superioribus terræ cuiusdam speciem præbet opaci cum perspicuo mixtura, & lucis indigentia, quam a sole, velut hæc quam habitamus moles, mutuatur. Quo nomine hanc phyci *ætheream terram*, auctore Macrobio citato loco, dixerunt. Quod & Plato in Apologia notauit, & Aristoteles secutus est, & qui Aristotelem secuti: in quibus Auerrois multis locis commentariorum, quæ longum esset referre. Ex quo intelligitur, hanc eundem in siderum ordine locum esse nactam, quam terra obtinet in elementis: nempe vt terra infima est elementorum, sic luna cælestium.

Eadem dicitur *femineum sidus*, non modo quia quicquid in se splendoris habet a sole recipit, qua causâ *σελήνην* genere feminino Græcis nuncupatam Ammonius notat comment. in lib. *περὶ ἑρμηνείας*; sed etiam quia humore, quem remisso calore mouet non discutit, alit omnia in terris, accedens corpora implet, abscedens inanit. Quod perennibus & vbiq̄ue obuiis

confe-



confessum experimentis omitto, vt de iis, quæ in ipsa apparent, varietatibus dicam; si tamen dicendum est de re adeo omnibus vsu comper-  
ta & vulgata. Illud non tacendum est, maxi-  
marum rerum ab iis, quæ in luna apparent, figu-  
ris diuersis, sumpta esse argumenta & symbola,  
ac præcipuas ad sapientiam opportunitates. Nam  
tam multiformis luna apparet, variasque nobis  
luminis incremento & decremento *Φάσεις* o-  
stendit. Hæ mutationes abiire in prouerbium,  
vt stultus qui mente nunquam consistit mutari  
vt luna dicatur, quemadmodum in Ebræorum  
sapientum prouerbiis legimus: immo & fortis hu-  
manæ conditio hac imagine deploretur, cum &  
hanc innumeris mutationibus obnoxiam esse  
constet. Quamobrem & Ecclesiam in sacris li-  
bris eodem lunæ typo adumbratam theologo-  
rum doctissimi censent: quando & hæc, dum  
in terris degit, luminis eius quod a Christo su-  
premo sole suscipit, augmentum & decessiones  
defectusque, maculas etiam & fordes, in suo lu-  
mine haud secus ac luna in suo orbe ostendit.

Ac de his symbolis quæ luna præbet supra  
naturam philosophantibus, hæctenus theologo-  
rum indagatio processit: aliam similitudinem  
non minus nobilem, qua genus propheticum  
lunæ comparatur, atque etiam non obscuro na-  
turæ fœdere associatur, non viderunt: quam  
nunc aperire institui, cum ad Sibyllæ confide-  
rationem pertineat. Tribus autem potissimum



& hæc analogia & similitudo prophetarum cum luna continetur. Primum est luminis diuini, quo vates efficiuntur, influxus in anima humana: quemadmodum enim luna lumen a sole mutuatur & vires quas in hæc caduca transfundit; sic anima prophetæ lumen quo futura distinguat a numine recipiat necesse est, alioqui obscura horumque ignara penitus manet. Alterum est eiusmodi: vt luna nocturnum est sidus, neque honorem aut vim habet nisi in absentia solis; eo enim præsentem latet, velut alia astra maiori lumine obruta; sic neque animus vatis quicquam eximium habet aut sapit, dum ratio viget, & vitæ actiones regit: decedat hæc vis & somno aut furore soluatur, necesse est vt diuina accedat, & rerum futurarum signa animo imprimat. Hanc etiam similitudinem Philo Judæus in libro de hærede diuinorum his verbis expressit: ἕως ἐπι ἀειλάμπει καὶ ἀειπολεῖ ἡμῶν ὁ νῆς, μεσημβρινὸν δὲ Φέγγος εἰς πᾶσαν τὴν ψυχὴν ἀναχέων, ἐν ἑαυτοῖς ὄντες δ' ἀκατεχόμεθα· ἐπειδὴν ἢ πρὸς δυσμας γένηται, καὶ τὸ εἶκός ἐκστασις καὶ ἢ ἐνθεὸς ἐπιπίπτει κατοχωλική τε καὶ μαγία. id est, *Dum adhuc mens nostra exercita ac munia sua obiens, ceu meridianum tota anima lumen diffundit, tamdiu homines suæ spontis ac sui compotes nullo impulsu diuino concitantur: postquam autem sol iste animæ nostræ ad occasum venerit, tunc animi alienatio & diuinus incidit furor, quo occupantur prophete.* Terti-



um est, confessa omnibus lunæ potestas in humores, quo fit ut euocatis ad caput humoribus atque agitatis, homines furori opportunos efficiat: si præsertim radiatio accedat Saturni, cuius dominio atra bilis infantiæ parens subiecta est. Comitiales lunæ maleficio prosterni ac furere in confesso est: sunt autem comitiales melancholicis affines, procliui & mutuo vnius morbi in alterum transitu; Hippocrate auctore in sexto populariam morborum. Nam & morbum magnum vel sacrum (ita ille, qui vulgo Græcis *ὀπιληψία* vocatur, appellat) superueniente mania siue furore terminari, in secundo eorumdem librorum docet. Caterum & hos & illos dæmonum ludibriis esse opportunos, antiquis persuasum fuit: vulgus etiam qui morbo caduco implicarentur, alicuius peccati in Dianam, hoc est, lunam admissi dare pœnas arbitrabantur. Aretæus libro primo *χρονίων παθῶν* cap. de morbo comitali: *ἀλλὰ καὶ ἄδοξος ἢ συμμόρφη. δοκέει γὰρ τοῖσιν εἰς τὴν σελήνην ἀλιτροῖσι ἀφικνεῖσθαι ἢ νῆσος.* Quod etiam Sophocles hoc versu testatur:

*ἢ ῥά σε ταυροπόλα Διὸς Ἄρτεμις ὤρημῃσεν ὀπιεῖς.*  
Ad quem versum Scholiastes notat: *τῆς πολλῆς γὰρ τῶν μαινομένων ἐκ σελήνης νοσεῖν ἰσχυρίζεται, ἀφ' τὸ νυκτερινῶν δεσπόζειν φασμάτων.* id est, *Plerosque enim furentium ex luna agrotare existimant: propterea quod luna nocturnis dæmonum apparitionibus & spectris domina-*  
*tur.*



*tur. Subscribit Georgius Venetus & explicat in problematis sect. 10. probl. 442. Cur aliqui vexantur a luna? Nonne quia ille planeta terreus, frigidus, atque siccus contrariatur (ita ille Scholasticorum licentia loquitur) natura, que diligit calidum & humidum. Quod potissimum euenit quando luna irradiatur a Saturno atrabilem constipante: adeo vt prepararetur sedes malo demoni, qui agit corpus agitatissimum iam humoribus a luna reuolutione. Vnde tunc homini se male disposito occurrit malus demon vexans ipsum & torquens. Hæc ille auctor, qui qua ratione lunam contra omnium aliorum sententiam siccam dicat, equidem nescio, nec scire laboro. Tales olim lunaticos dictos, Græcis *σεληνιαζόμενος*, etiam Matthæo cap. 4. & 17. reperio. Horum & meminit Firmicus Astronom. lib. 4. cap. 7. vbi de lunæ a Mercurio defluxu ad alios planetas. Si vero (inquit) a Mercurio per diem defluens luna, minuta lumine ad Saturnum feratur, faciet mendicos, pauperes, pannis obsitos, & misera egestatis calamitate demersos; alios seruire in templis facit, alios vero vagari compellit. Facit plerumque lunaticos, aut sacrarum valetudinum vitiis oppressos, caducos quoque ac misera commotione dementes. Vbi sacras valetudines interpretor raptus & *ἐκστάσεις* ab afflatu diuino & lymphationes. Quarum e classe cur caducos excludat, non video: cum maxime hunc morbum qui caducus & comitialis dicitur,*

*priscis*



priscis sacrum habitum & nominatum constet. Certe Vallesius de sacra philosophia cap. 71. comitiales etiam & maniacos eadem appellatione intelligi censet; vbi locum illum Matthæi expendit: *Domine miserere filio meo qui lunaticus est, & male patitur: nam sepe cadit in ignem, & crebro in aquam.* Vallesius; *Ex his verbis constat, haud dubie epilepticos dici lunaticos: constat quoque ex multis veterum locis, & ex communi hominum sententia, lunaticos vocari maniacos.* Et hoc, vt dixi, quia luna humores agit, maxime quo tempore pleno lumine fulget. Quamquam non omnes eodem lunæ statu moueri constat: magis enim in plenilunio qui biliosis & crudis abundant succis, quales sane melancholici, item comitiales ex atra bile; eiusdem autem sideris deliquio, qui pituitæ aut crudorum humorum vitio ad eos affectus procliuēs sunt; eodem Vallesio auctore. Sed de his hæcenus.

Ex his patet ratio eius vaticinii, quo Sibylla dicit, sibi sedem in luna paratam post mortem, vt supra allato Plutarchi loco vidimus: quamobrem item Thespesius quidam apud eundem Plutarchum in libro de sera Numinis vindicta, ex somnio quod in Trophonii antro viderat, Sibyllam e lunæ globo de morbo & morte Vespasiani Cæsaris vaticinantem audiuisse dicatur. Siue eiusmodi somnium vere homini illi contigit, siue ipse finxit se vidisse, siue alii de ipso fabulati. Quicquid sit, non huius  
mentio



mentionem fecisset Plutarchus, nisi tali somnio vel figmento aliquam in natura subesse rationem putasset. Plutarchi verba hæc sunt : ἀλλ' ἦκε παρῶν Φωνὴν ὄξεια, γυναικὸς ἐν μέτρῳ φεράσσαν ἄλλα τε τινα, καὶ χρόνον (ὡς ἔοικε) τῆς ἐκείνης τελευτῆς. ἔλεγε ἣ ὁ δαίμων, τὴν Φωνὴν εἶναι Σιβύλλης, ἀδειν γὰρ αὐτὴν πρὸς τῶν μελλόντων, ἐν τῷ προσώπῳ τῆς σελήνης περιφερμένην. βεβλόμενος ἐν ἀκροῦσθαι πλείονα, τῇ ῥύμη τῆς σελήνης εἰς τὸ ναυτιῶν, ὡς περ ἐν ταῖς δίναις ἐξέωδη, καὶ βραχεία κατήκασεν ὧν ἦν καὶ τὸ πρὸς τὸ Ουεστίον ὄρος καὶ τὴν Δικαιοαρχίαν ὑπὸ πυρὸς φορᾶ γενησόμενον· καὶ τι κοιμαλίον πρὸς τὸ τότε ἡγεμόνος, ὡς ἐσθλὸς ἐὼν νόσω τυραννίδα λείψει. id est, *Sed prateriens (anima Thespesii) acutam vocem mulieris audit, versu cum alia quædam renunciantis, tum & tempus, ut apparuit, quo ipse obiturus esset. Hanc autem Sibylla esse vocem demon indicavit : nimirum hanc, dum in lune facie circumfertur, de iis que sunt euentura canere. Cum autem plura audire vellet, quominus posset, rapida lune vertigo obstitit, cuius violentia in partem aduersam est abreptus. Quo factum ut paucula quedam dumtaxat ei audire licuerit. Ex quibus de Vesuio monte & Puteolis, tum de imminente clade ab igne inde erupturo. Præterea breue quiddam de imperatore qui tum regnaret, quod cum bonus princeps esset, non ferro ut alii, sed morbo imperium relicturus esset. Nec vero ex hoc somnio tantum apparet id quod dixi*

de



de vatum agnatione ad lunam; sed & Plutarchus ipse, priscorum theologiam secutus, præfidentes vaticiniis dæmones in eo fidere tanquam in apto & familiari domicilio collocat, qui inde euocati descendant huc ad loca oraculis nobilitata, eorum quæ ibi geruntur curam suscipiendi. *ἐν αἰεὶ Διατείβασιν ἐπ' αὐτῆς (σελήνης) οἱ δαίμονες, ἀλλὰ χρησιμῶν δεῦρο κατὰ τὰς ἐπιμελησόμενοι.* Aliquot deinde eorum geniorum ceu familias & sodalitia nominat, tum etiam loca in quibus maxime vim suam ostendere solerent: Idæos Dactylos in Creta; Corybantes in Phrygia; Trophoniadas in Lebadia Bœotia. Cur autem anima Sibyllæ non simpliciter in luna, sed proprie *ἐν τῷ προσώπῳ σελήνης*, in facie lune esse dicatur, non immerito aliquis requirat. Age & istuc quicquid est arcani ex his literis effodere tentabo, quando in hæc auiæ Musarum loca nullius ante trita solo diuertere placuit.

## CAPVT XIII.

*De facie Luna: Et quid Sibylla cum eo meteoro.*

Quam in luna Græci *faciem* (hoc enim vox *πρόσωπον* sonat) dixere, nihil esse aliud quam partium opacarum cum luminosis quandam mixturam & dispositionem satis constat. De causa quæ hanc varietatem facit litigant



gant philosophi, quorum opiniones videre est apud Plutarchum in secundo de placitis philosophorum, & in libro de facie in orbe lunæ. Quidam lunæ naturam minus sinceram esse opinati sunt, ideoque maculosam videri, quod ex partibus partim perspicuis & igneis, partim opacis & terreis concreuerit; quæ fuisse videtur Anaxagoræ sententia apud Plutarchum citato loco: lunam talem apparere *Διὰ τὴν ἀνωμαλότητα τῶ συγκρέματος Διὰ τὸ ψυχομιγῆς αἶμα καὶ γῆδες· ὡδραμείχθαι γὰρ τῶ πυρωειδῆ τὸ ζοφώδες, propter concretionis disparilitatem; in qua multum est frigidi & terrei admixtum: igneis enim & luminosis partibus tenebrosi multum esse interpositum.* Quam opinionem Stoici amplexi pariter in luna τὸ σπερμειδῆς τῆς ἔσσης substantiæ diuersitatem agnouerunt: vno verbo, μὴ εἶναι αὐτῆς ἀκέραιον τὸ σύγκρεμα. Ad quos mihi respexisse Philo Ebræus videtur, cum in lib. de insomniis sic de lunæ natura philosophatur: λέγεται γὰρ, ὅτι σελήνη πλήμα μὲν ἀκρατον αἰθέρος ἐκείσιν, ὡς ἕκαστος τῶν ἄλλων ἀστέρων· κρᾶμα ἢ ἕκτε αἰθερώδες ἢ αἰεράδες ἔσσης, καὶ τόγῃ ἐμπερσόμενον αὐτῇ μέλαν, ὃ καλεῖσιν ἰνες πρῶσων, ἔδέν ἄλλο εἶναι ἢ τὸν ἀναμεμιγμένον αἶρα, ὃς καὶ φύσιν μέλας ὢν, ἀχρῆς ἔρανθ τείνεται. id est, *Sunt certe qui dicant, lunam non esse globum puri ætheris, ut cætera sidera, sed mixtum ex æthere aereque; & apparentem in ea nigredinem, quam nonnulli vocant faciem, nihil aliud esse,*

quam



*quam admixtum aerem, qui suapte natura usque ad caelum tenditur.*

Cæterum non mihi facile aliquis persuadebit, naturam lunæ ex diuersis esse coagmentatam, velut corpora illa quæ mixta proprie dicuntur: quod si ita esset, non minus iis dissolutioni obnoxiam esse oporteret, neque esset cur cælestibus potius quam caducis aggregaretur. Quemadmodum neque iis facile accesserim, qui eandem lunæ quæ nostræ terræ naturam putant: in ea esse montes, & depressas conualles, lucos, maria, & cætera quæ apud nos reperiuntur. Quin habere & hanc suos habitatores, animantia multo his nobis cognitis pulchriora, eius virtutis quæ sit quintupla & decupla eius quam nostratia animalia ostendunt, ex Pythagora citato loco refert Plutarchus. Tametsi Aristoteles suos lunæ esse incolas alicubi agnoscere videtur: & Platonem in Phædone, sub finem dialogi, ea quam Socrates celebrat superiore terra & cælo contigua, earum quæ in luna sunt regionum varietatem per modum fabulæ adumbrasse censet Plutarchus; in quibus plagis omnia quæ apud nos sunt, atque adeo animalia, multo præstantiora haberi dicuntur. Sed profecto potior mihi videtur eorum sententia, qui allegorice hæc a Platone in hunc modum composita arbitrantur; quos & Origenes sequitur in septimo eorum librorum quos contra Celsum edidit.

De



De sideris autem huius natura & facie omnino sentiendum est, vt Aristoteles nobis proposuit, si sapere volumus: non vlla diuersorum mixtione ea maculas effici, sed quadam cælestis naturæ in luna degenerantis defectione atque, vt ita dicam, detrimento, quod hæc minus in se eius perfectionis habeat quam alia astra; vt-pote ab eo quod in eo genere perfectissimum est remotior, terris autem propinquior & caducis confinis. Itaque non solum in lucis participandæ gradu inferior aliis stellis deprehenditur; quam non sibi insitam & vernaculam nacta est, verum aliunde accipit; sed etiam in figura. Cum enim communis omnium siderum & elementorum figura hæc sit, quam omnium esse nobilissimam constat, nempe orbicularis, non tamen ita exactam luna hanc figuram, atque alia supra eam sita astra, habere potuit: quemadmodum neque terræ moles adeo æqualis est rotunditatis, atque alia elementa. Proinde vt in terra sic in luna esse inæqualitates perquam naturæ ordini consentaneum est. Quade causa lunam quandam in cælesti natura terræ similitudinem atque rationem præ se ferre censuit Aristoteles, vt variis suorum commentariorum locis Auerrois testatur. Eadem igitur naturæ lege factum putandum est, vt nunquam luna lumen solis omni ex parte æqualiter recipere valeat; quod eius partes non eodem modo se habeant ad solem, sed quædam lumen  
melius



melius conceptum repercutiant, nempe densiores, aliæ, licet non ita raræ vt penitus transmittant, rariores tamen sint quam vt valeant ad nostrum obtutum repercutere; quo fit vt quandam nigroris & obscuritatis speciem eminus conspicientibus præbeant. Ita ex hac laxiorum partium cum spissioribus dispositione & contextu emerfit nobis facies illa in globo lunæ, quam prisca illi sapientes Sibyllinæ proprietatis symbolum atque imaginem esse voluerunt. Quo similitudinis fundamento, nunc explicandum est.

Quemadmodum igitur luna, vt modo ostensum est, non per totius globi compagem solis lumen concipit, sic neque mens Sibyllæ (eadem ratio est aliarum vatum) tota numinis afflantis luce exsplendet, sed ei cognitioni quam recipit rerum futurarum non pauca maculæ & nubila interponuntur, (ita appello ambages & ænigmata, quibus oraculorum veritas infuscatur) vt etiam Maro his versibus testatur:

*Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla*

*Horrendas canit ambages, antroque remugit,  
Obscuris vera inuoluens.*

Quod adeo proprium oraculorum, vt eo sublato non amplius oraculum censeatur. Vnde Græcis *λοξίας* Apollo dictus ab verborum obliquitate & ambagibus: quo etiam epitheto vsus Aristophanes in Pluto. Non quod Deus consulto luci, quam animæ infundit, nubes & caligine



nem misceat, & negotium vltro hominibus fa-  
 cessat, vt Hieronymus exponit lib. 14. in E-  
 zech. cap. 45. *multa, inquires, dicuntur inpa-  
 rabilis & enigmatibus, vt qui habet aures au-  
 diendi audiat: omnisque propheta in obscuritate  
 continet veritatem, vt discipuli intrinsecus audi-  
 ant; vulgus ignobile & foris positum nesciat  
 quid dicatur.* Quod perinde est ac si quis ima-  
 ginum perplexitatem, quæ in nonnullis specu-  
 lis apparet, non ipsis sed formæ eius, qui se in  
 illis intuetur, imputet; aut colores nubium,  
 atque adeo arcus cælestis, aut vmbas corporum,  
 lumini ipsi adscribat. Multo melior est Plu-  
 tarchi interpretatio, qui naturæ animi humani  
 id adscribit, qui nihil sine phantasia cognoscit.  
 Huic vim suam accommodat Deus, velut alia  
 agentia materiæ, quam informant, conditio-  
 ni. Ita neque is proxime menti absque me-  
 dio rerum futurarum notiones imprimi, sed  
 interuentu imaginum phantasiæ, prout fert na-  
 tura & captus animi humani. Cæterum eæ  
 imagines aut iis quæ cognoscuntur ad amissim  
 congruunt, aut cum aliqua permutatione, qua  
 vna res per alterius speciem insinuetur, vt fit  
 in allegoriis & ænigmatibus. Horum proinde  
 modorum alterutro Deus futura vatibus signi-  
 ficet necesse est. Atqui non priore modo: qui  
 eorum tantum cognitioni conuenit, quæ con-  
 sueta & naturali via sensuum & rationis occul-  
 ta ex notis venantis comparatur. Superest  
 igitur



igitur vt altero modo, per species quidem imaginationis, sed paulum permutatas, & a propriis rebus ad peregrinas quadam proportione atque similitudine detortas. Qui modus posterior conuenit animæ præter omnem rationis coniecturam emergenti in lumine diuino ad cognitionem rerum futurarum. Non quod Deus non possit, si velit, citra ambages & figuras indere alicui notiones claras, quibus futura præsentiat; vt cum Mosi ore ad os loquebatur, hoc est, menti illius sese nullius rei interuentu ingerebat; sed quia minus, vt dixi, is modus veritatis adipiscendæ congruens animæ humanæ.

Hoc probe intelligens Plutarchus in libro de Pythiæ oraculis, in quo disputat cur Pythia amplius responsa versibus non daret, eam vatem (eadem ratio est Sibyllæ, eadem cæterorum vaticinantium) sic se habere ad Deum dicit, vt instrumentum quod magis accommodatum sit opifici, magisque ei obediens, quam luna est soli ad luminis vices & transmissionem in terras tempore noctis, ne noctes omnino munere tanto, quale est lumen, careant. Et tamen (inquit) idem lumini in lunæ globum incidenti euenit, quod imaginibus iis quas specula varie ad oculos remittunt, prout inter se conformatione differunt: aliter namq; eandem imaginem reddit bene plana & æqualis speculi superficies, aliter conuexa, aliter concaua. Eodem modo de luna existimandum censet; eam nem-



pe, tametsi ad id factam vt solis in se imaginem recipiat & terris ad tenebrarum solatium remittat, non tamen qualem a sole lucem recipit transmittere, sed multa propria substantiæ inæqualitate mutatam. Verba magni scriptoris, quibus hanc comparationem proponit, tametsi insigniter corrupta, vt in vulgatis extant codicibus, referam, quia sine manuscriptis libris, quæ a me procul, restitui non possunt: ἔθεν ἔτε μᾶλλον ἰδέαν ἔοικε, ἔτε ὡς ὄργανον χρῆσθαι φύσει γέγονεν εὐπειθέστερον σελήνης. λαμβάνουσα δὲ παρ' ἡλίου τὸ λαμπρὸν καὶ πυρρῶτον, ἔχ' ὅμοιον διποπέμπει πρὸς ἡμᾶς, ἀλλὰ μὴ τὴν αὐτῆ καὶ χροῖαν μετέβαλε καὶ δύναμιν ἔχεν ἑτέραν· ἢ δὲ θερμότης καὶ παντάπασι ἐξόριστα καὶ περιέλοιπε τὸ φῶς ὑπὸ ἀδυναμίας. Atque hæc recte Plutarchus de solis luce degenerante in globo lunæ: nisi quod non recte dicit, destitui omni calore lumen illud quod luna a sole in terram reflectit. Hoc enim falsum esse experientia docet, & ex ipsa Aristoteles lib. 4. de partibus, nempe ἐν πανσελήνοις ἀλεεινοτέρας εἶναι τὰς νύκτας διὰ τὸ φῶς τῆς σελήνης, noscitur esse tepidiores in pleniluniis propter lumen luna. Qua ratione idem in lib. 4. de generat. animal. lunam ceu alterum esse solem minorem censet. Sed hæc in transcurso, nunc ad rem.

Consequens est, vt ad hanc Sibyllæ cum luna comparationem & similitudinem vtriusque amplius declarandam exemplis ostendamus, quem-  
admo-



admodum & lumen illud cæleste, quo Deus vatum animam collustrat, in vnoquoque eorum degeneret, ac varias assumat notiones atque eloquendi formas, prout in hominibus ingenia & mores variant. Vnde autem potius sermonis eius argumentum & demonstrationem petam, quam ab Hieronymo, latinorum Patrum doctissimo? Quæ igitur hic initio expositionis, quam in librum Amos prophetæ edidit, notat ad hæc verba: *Dominus de Sion rugiet: subiungere haud grauabor. Naturale est ut omnes artifices suæ artis loquantur exemplis, & vnusquisque in quo studio triuit atatem illius similitudinem proferat. Verbi gratia, qui nauta est & gubernator, tristitiam suam comparat tempestati, damnum naufragium vocat, inimicos suos ventos contrarios appellat; rursus prosperitatem & letitiam auram placidissimam & secundos nominat ventos, tranquilla maria & aquora campi similia. E regione miles quicquid dixerit, scutum, gladium, lorica, galeam, lanceam, arcum, sagittam, mortem, vulnus & victoriam sonat. In ore philosophorum semper Socrates & Plato, Xenophon & Theophrastus, Zeno & Aristoteles, Stoici versantur & Peripatetici. Oratores Lysiam & Hyperidem, Periclem & Demosthenem, Gracchos, Catones, Tullios & Hortensios in cælum laudibus ferunt. Poetæ, si epici sunt, Homerum atque Virgilium, si Lyrici, Pindarum & Flaccum crebro sermone celebrant. Cur hæc dicta sunt? ut*



scilicet ostendamus, etiam Amos prophetam, qui pastor de pastoribus fuit, & pastor non in locis cultis & arboribus ac vineis confitis, aut certe inter silvas & prata virentia, sed in lata eremi vastitate, in qua versatur leonum feritas, & interfectio pecorum, artis suae usum esse sermonibus, ut vocem Domini terribilem atque metuendam, rugitum leonum & fremitum nominaret: euerfionem Israeliticarum urbium pastorum solitudini & ariditati montium comparans: Dominus, inquit, de Sion rugiet &c. Et in proœmio addit de imperitia eius quod ad stylum attinet: *Ex hoc numero pastorum & Amos propheta fuit, imperitus sermone sed non scientia.* Idem enim qui per omnes prophetas in eo Spiritus Sanctus loquebatur. Ut igitur lumen solis in luna, sic Spiritus Dei in animis vatum modificatur, naturisque diuersis se accommodat: in his eloquentius & fortius sonat, in aliis agrestius, cæterasque humanitatis differentias induit, auctore Hieronymo.

Multa & Plutarchus dicto loco habet in eandem sententiam: qui etiam numinis afflatum, quem Græci ἐνθουσιασμόν vocant, vino comparat, & Charemonis affert sententiam, qua dicit vinum moribus bibentium obsequi atque attemperari: ὁ μὲν γὰρ οἶνος, ὡς ἔλεγε Χαιρήμων, τοῖς πρόποις κεράννυται τῶν πινόντων· ὁ δὲ μανλικὸς ἐνθουσιασμὸς, ὡς περὶ ὁ ἐρωλικὸς, χρῆται τῇ ὑποκειμένη δυνάμει, καὶ κινεῖ τῶν δεξαμένων ἕκαστον καθ' ὃ πέφυκεν. id est, *Etenim vinum,*



vt Charemon dicebat, in mores bibentium transit: nec secius fatidicus furor, quemadmodum & amatorius, subiecta animi potestate vititur, & unumquemque vt natura est aptus mouet. Cum igitur multa afferri possint, quibus vatum indoles & respectus ad vim diuinam adumbretur, nullam tamen constat huius societatis & diuinæ operationis nobiliorem esse similitudinem hac quæ a luna ducitur, in illo Thespesii somno expressam. Quam paulo latius explicare visum est, vt intelligatur, non de nihilo fingi Sibyllam in facie lunæ adhuc vaticinantem: & quia viri docti, cum varias a lunæ natura sumptas similitudines in suis hieroglyphicis traderent, hanc nescio quomodo silentio præterierunt.

## CAPVT XIV.

*De Sibyllæ cultu, sepulchro & epitaphio. Auctorum in his dissensio.*

**A**Ddam & de Sibyllæ cultu, sepulchro, & carmine illi inscripto quæ potui reperire. In his statim occurrit illud ex sæpius jam citato Aristotelis libro, de duplici cognomento Sibyllæ Erythrææ in Italia: *δυσαν μὲν Ερυθραίαν, ὑπὸ πνων Μελάγχραναι καλεμένην.* Quid sit enim *μελάγχραναι* non intelligo: dictio nihili, pro qua legendum sine dubio est *μελάγχραναι*,



elementi vnius mutatione. Est autem compositum nomen ex μέλας, quod *nigrum* significat, & χλαῖνα, qua vsus Moschus in epitaphio Bionis:

καὶ σάτυροι μύροντο, μελάγχλαινοί τε πρέμπτοι.

Quam plane veram esse lectionem res ipsa probat. Erat enim χλαῖνα antiquis crassioris vestis genus, aliis superiniici solitum, ideoque hiemi accommodatum: vt ex prouerbio colligitur in eos qui rebus necessariis tempore alieno abutuntur: ἐν θέρει τὴν χλαῖναν κατὰ τρίβεις, *aestate lenam conteris*: nam & Latini græcam vocem vno elemento detracto in vsum traxerunt, pro χλαῖνα *lenam* dicentes. Hanc diuites ad cœnam prodeuntes purpuream gestabant: quo illud spectat Iuuenalis Sat. 3.

*cauet hunc, quem coccina lena*

*Vitari iubet, & comitum longissimus ordo.*

Plebeii autem homines, item remoti a fastu, & in secessu viuentes, pulla aut nigra utebantur. Qualem & monachorum vestitum suo tempore fuisse testatur Eunapius in Ædesio, sed non absque morfu virulento, vt ethnicus: τυραννικὴν γὰρ εἶχεν ἐξουσίαν τότε πᾶς ἀνθρώπος μέλαιναν φορῶν ἐδίητα, καὶ δημοσίᾳ βεβλόμενος ἀχημονεῖν. *tunc enim tyrannicam habuit potestatem quisquis nigra veste indutus esset, & indecorum habitum publice profiteri vellet.* Vbi μέλαιναν ἐδίητα intellige μέλαιναν χλαῖναν. Lena igitur & nigra vsam fuisse Sibyllam id cognomen indicat, quo hanc homines illius temporis



poris designarunt, vt alieno a sexu vestis genere insignem : non videtur enim læna mulierum fuisse, sed virorum. Quod Justinus Martyr parum aduertens in Admonitorio ad Græcos  $\sigma\theta\lambda\eta\nu$  ei tribuit.

Aliud de cultu Sibyllæ quod dicam non habeo; nisi quod Constantinus Cæsar apud Eusebium de diademate, quod cum Apolline cui seruiebat commune gerebat, tradit:  $\dot{\iota}\epsilon\rho\epsilon\iota\alpha \eta\nu \tau\delta \text{ Απόλλωνος, Διάδημα ὁπίσης τῷ θεῷ σκευομένῳ ὑπὸ αὐτῆς Θεῷ φορεῖσα}$ . id est, *Sacerdos erat Apollinis, diadema quale Deus quem colebat ferens*. Hoc diadema corona fuit ex lauro, solenne vatum ornamentum, quos hac causa  $\delta\alpha\phi\nu\theta\acute{\alpha}\gamma\sigma\epsilon$  vocat Lycophron in Alexandra; non enim quia laurum vorabant, vt Ronsardus noster accepit, & plerique omnes exponunt, sed quod illis quæstus & victus ex vaticinio esset, cuius argumentum & symbolum fuit laurus. Ita Tzetzes id epithetum explanat.

Quod ad sepulchrum autem eius attinet & epitaphium; quo in loco, vt primum id exequar, obierit, & sepulta fuerit, non conuenit inter auctores: nec mirum, quando neque de loco natali. Justinus Martyr Cumis vita functam & conditam credidit, quod se ab eius vrbs ciuibus, cum in Italia esset, accepisse dicit, sibi etiam loculum, in quo eius reliquiæ positæ essent, monstratum refert in Parænetico iam sæpius



laudato : αὐτοὶ γὰρ ἐν τῇ πόλει γενόμενοι ἀπὸ  
 τῶν ἀθρηνητῶν μεμαθήκαμεν, τῶν καὶ τὰς πό-  
 πους ἐν οἷς ἐχρησμάδει, ἡμῖν ὑποδειξάντων, καὶ  
 Φακὸν ἕνα ἐκ χαλκῆς κατασκευασμένον, ἐν ᾧ  
 τὰ λείψανα αὐτῆς σώζεσθαι ἔλεγον. *Ipsi enim  
 cum in ea urbe essemus, ab iis qui hospites ad qua-  
 que visenda deducere solent didicimus, qui etiam  
 nobis ostenderunt loca in quibus vaticinaretur, tum  
 etiam loculum quendam lentis forma ex aere, in  
 quo reliquias eius custodiri dicebant.* Suffragatur  
 Trimalcio apud Petronium : *Nam Sibyllam*  
 (inquit) *Cumis ego ipse oculis meis vidi in ampul-  
 la pendere; & cum illi pueri dicerent, Sibylla ti-  
 thelis? respondebat illa, apothanin thelo.* Suf-  
 fragatur, inquam : quia licet nouum, inaudi-  
 ditum & friuolum est quod de ampulla dicit,  
 in qua Cumis Sibylla pendebat ; & de pueris  
 illam, quid vellet, interrogantibus ; tum illa  
 vicissim respondente : velle se mori ; occasionem  
 tamen mimico spectaculo hinc præbitam appa-  
 ret, quod Cumis sepultam esse Sibyllam vulgo  
 persuasum esset. Nam & diu in eo antro, quod  
 Cumis habebat, corpore ad extremam tabem  
 prope absumpto, vitam in vnus vocis vsu re-  
 tinuisse dicitur, quemadmodum supra ex Seruii  
 ad sextum Æneid. commentario ostendimus.  
 Pausanias autem hanc in Troade extinctam lon-  
 go æuo, sepultamque in luco Apollinis, cogno-  
 mento Sminthei, cuius æditua fuisset, tradit :  
 sepul-



sepulchrum etiam illi extructum operis eximii. Huic namque ad dextram apposita erat Mercurii statua ex lapide artificiose exsculpta, figura, vt mos fuit, quadrangulari; ad læuam Nympharum signa ex eadem materia, fonsque inibi iugi aquæ strepitu in conceptaculum defluens. Tanta est auctorum de loco, in quo sepulta fuit Sibylla, dissensio. Neque id sane mirandum in rebus tam vetustis & remotis. Duorum autem alterutrum non absurde dici potest: aut scilicet Sibyllam multo quidem tempore Cumis vsque ad senectutem vixisse, non tamen ibi sed Erythris loco natali defunctam, in quem locum patriæ desiderio, vt est ingenium humanum, reuertisset: quod si recipimus, narratio Iustini & aliorum traditio plane ad nihilum redit; vel si Cumis conditam magis placet, Pausaniæ memoratum illud monumentum, quod in Troade habuit, ad memoriam tantum & speciem eadem a ciuibus positum dicemus: nempe cenotaphium potius quam verum sepulchrum, dum plures ciuitates sibi certatim, vt supra ostendimus, Sibyllam vindicant. Quorum vtrum sit verisimilius vnicuique liberum esto iudicium. Elegos quidem, quos in columna sepulchri incisos fuisse refert Pausanias, quos & nobis legendos exhibet in Phocicis, omittere, cum sine elegantissimi, in longa præsertim & accurata de Sibyllæ rebus disquisitione, peccatum esset maximum



mun in Musas, quarum & sacerdos fuit. Hos igitur in libri huius calce adscribere visum est:

Α δ' ἐγὼ εἰ Φοίβοιο σαφηγορεῖς εἰμὶ Σίβυλλα,  
τῷ δ' ὑπὸ λαϊνέῳ σίματι πυθόμενα.

Παρθένος ἀνδάεσσα τὸ πρῶν, νῦν δ' αἰὲν ἀναυδος,  
Μοῖρα ὑπὸ σιβαρῆϊ τήνδε λαχῶσα πέδῃ.

Ἀλλὰ πέλας Νύμφαισι καὶ Ερμῇ τῷ δ' ὑπὸ-  
κειμαι,

Μοῖραν ἔχου Ἐκάτω τῆς τὸτ' ἀνακτορῆς.  
Apponam & latinam eorumdem interpretatio-  
nem ex Romuli Amasæi sententia, eorum in  
gratiam qui græca assequi non possunt:

*Illa ego sum Phæbi interpres non vana Sibylla,*

*Hic qua marmoreo contineor tumulo.*

*Vocalis quondam, æternum nunc muta puella,*

*Heu! nimis hac fati compede pressa graui.*

*Mercurio tamen ἔ Nymphis sociata quiesco:*

*Phæbo quod fuerim grata, ferens pretium.*



PETRI